Rou

DISSERTATIO

DE

AURELIO AUGUSTINO,

ADVERSARIO

DONATISTARUM.

DISSERTATIO

DE

AURELIO AUGUSTINO,

ADVERSARIO

DONATISTARUM,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Petrus Hofman EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PETRI HOFMANNI PEERLKAMP,

PHIL. THEOR. MAG. LIT. HUM. DOCT. ET PROF. ORD.,

TUM

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS THEOLOGICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

In Academia Lugduno-Batava,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTIT

ADRIANUS ROUX,

E PROMONTORIO BONAE SPEI,

S. MIN. CAND.

AD DIEM VII MARTII MDCCCXXXVIII, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD J. H. GEBHARD ET SOCIOS.

MDCCCXXXVIII.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

PARENTIBUS

OPTIMIS CARISSIMIS

Sacrum.

PRAEFATIO.

Quod ipse in votis habebam, quod Praeceptores suadebant, quod Parentum liberalitas concedebat, id mihi nunc per Dei favorem obtingit. Summos enim in Theologia honores petere, ex quo Theologorum scholas frequentare coepi, semper mihi in deliciis fuit, eam maxime ob causam, ut, cum ad hoc consilium obtinendum per longius, quam quod alias curriculo Academico tribui solet, temporis spatium in hac Musarum sede versari mihi liceret, disciplinarum maxime Theologicarum studio eo melius incumbere paratiorque ad gravissimum sacrorum antistitis munus accedere possem. — Cum autem mihi scribenda esset disputatio, adii Virum Clarissimum KIST, *cujus institutio de historia Ecclesiastica ita me hujus disciplinae amore imbuerat, ut decrevissem materiem scribendi non nisi ex hac disciplina sumere. Petii, ut tale argumentum, idque viribus meis*

accommodatum, indicaret. Petitioni satisfecit. Ex iis, quae mihi proponebat, disputationis argumentis praeprimis mihi arridebat id, quod praebebat schisma Donatistarum. Re autem bene considerata in controversiam tantum inquirere constitui, cui ansam dedit illud schisma, Augustinum inter et Donatistas agitatam. Nunc ad accurate, quantum fieri potuit, legenda Augustini *scripta huc spectantia accessi. Addidi* Optati *opus, praecipuorumque virorum doctorum, qui de hoc schismate egerunt, scripta in consilium adhibui. Dein ad scribendum me composui. Atque sic exstitit haec scriptiuncula, quam inscripsi:* de Aurelio Augustino, adversario Donatistarum. — *Num autem in ea conscribenda probabiliter versatus sim, penes rerum peritos judicium sit. Si quid in ea laudandum, non id mihi adeo, sed egregiae institutioni, qua hac in Academia usus sum, tribuendum. Impense enim laetor, quod Leidae studiis operam dare et disciplinas Theologicas excolere, mihi contigit. Quales quantosque Viros Praeceptores habui! Sufficiat inter eos, qui me litteris humanioribus aliisque instituerunt disciplinis, nominasse Celeberrimum* VAN DER PALM, *ex cujus viri praeclara institutione, quanta in me bona redundaverint, sentio, quantam in me vim habuerint scripta ac veri Oratoris Sacri, quod mihi exhibuit, exemplar, vix dicere ausim. Grato animo Tui semper recordabor, Senex Venerabilis! Teque Praeceptorem habuisse inter maxima, quae mihi obtigerunt, Divini Numinis beneficia semper reputabo.*

Quanta etiam Vobis debeo, qui me Theologiam docuistis, Viri Clarissimi CLARISSE, VAN HENGEL *et* KIST!

Quid mihi multis verbis opus, ut gratum in Vos animum profitear? Id omnibus animi viribus agam, ut me Vobis dignum discipulum praestem, eaque dignum benevolentia, qua me prosecuti estis. Ita enim gratum erga vos animum optime ostendi existimo. Quod praeprimis Tibi dictum sit, Celeberrime KIST! *quem mihi Promotorem esse designatum valde laetor. Consiliis enim tuis in conscribendo hoc qualicunque opusculo egregie me adjuvasti. Supplex a Summo Numine peto, ut Te ceterosque Praeceptores, Viros dilectissimos, diu ad decus hujus Academiae, ad Ecclesiae Christianae emolumentum Patriaeque vestrae gloriam conservet incolumes, utque per discipulos et scripta collustretis Meridionalem etiam Africae partem.*

Gratum in Te, Vir Clarissime TYDEMAN! *animum publice profiteri, maximo mihi est gaudio. Tu enim singulari me benevolentia prosecutus es, Tu me peregrinum in hanc Academiam adventantem in domesticam familiaritatem recepisti cumque carissima uxore vices fere parentum, quibus terris maribusque distabam, suscepisti et implevisti. Nunquam hujus in me collati beneficii obliviscar, Tibique et omnibus, qui me sibi beneficiis devinxerunt, quaecunque bona divinitus exopto.*

At tristi mihi jam officio satis faciendum est. Valedicendum vobis omnibus, vobis inprimis, Commilitones! quibuscum intimam colui amicitiam. Nulla enim mihi, ex hisce regionibus profecto, superest spes vos iterum his in terris adspiciendi. Nunquam tamen ex memoria mea vestra recordatio elabetur. Vestras virtutes mihi semper ob oculos ponam omniaque bona et egregia,

quorum mihi praebuistis exemplar, imitari conabor. Sit Deus vobiscum. Mementote mei. Ego vero ἀπὼν τῷ σώματι, παρέσομαι τῷ πνεύματι.

Vos, amicissimi Populares, hujus Academiae Cives! iterum adspiciendi spes animum meum erigit. Pergite modo strenue studiis vestris incumbere, et faxit Deus, ut, reduces in Patriam, huic Academiae sitis gloriae, Parentibus voluptati, utiles generi humano patriaeque nostrae carissimae, quae utinam aliquando sit Africae lumen! Vale Tu inprimis, Carissime Frater, amice integerrime! Sedulo medicinae praxeos, quod nuper inchoasti, studio incumbe, eaque feliciter exculta, redi in patriam, ut nos una Dei simus ministri. Accipe Tu, accipite Vos omnes! triste vale.

CONSPECTUS.

PROLEGOMENA.

PARS PRIOR.

PARS ALTERA.

CAPUT I.

CONTROVERSIA DE VERAE ECCLESIAE NOTA CHARACTERISTICA.

CAPUT II.

CONTROVERSIA DE BAPTISMI, EXTRA VERAM ECCLESIAM ADMINISTRATI, USU ET EFFICACITATE.

CAPUT III.

CONTROVERSIA DE EO, NUM VI UTI LICEAT IN REBUS SACRIS.

CAPUT IV.

JUDICIUM DE CONTROVERSIA AGITATA, EJUSQUE VI ET EFFICACITATE IN REM CHRISTIANAM.

SECTIO PRIOR.

JUDICIUM DE CONTROVERSIA AGITATA.

SECTIO ALTERA.

CONTROVERSIAE VIS ET EFFICACITAS IN REM CHRISTIANAM.

DISSERTATIO

DE

AURELIO AUGUSTINO,

ADVERSARIO

DONATISTARUM.

PROLEGOMENA.

DE VITA ET INDOLE AUGUSTINI DEQUE ORIGINE ATQUE HISTORIA SCHISMATIS DONATISTARUM.

Ad ipsum nostrae disputationis argumentum priusquam accedimus, pauca nobis sunt praemittenda cum de viro, quem agentem proponere velimus, tum de iis, quibuscum egerit. Utrumque enim est necessarium. Nam si et bene cognoverimus AUGUSTINUM, et exposita fuerit origo atque

historia schismatis Donatistarum, multa in controversia, virum illum inter et hos agitata, melius intelligentur, et ad ipsum disputationis argumentum sponte ducemur. Breves tamen esse studebimus. Nam data opera fuseque singula exponere, et minus necessarium est, et a consilio nostro alienum.

§ 1.

Vita et indoles Aurelii Augustini.

Aurelius Augustinus anno aer. Christ. 354 Tagastae natus est Numidiae urbe, patre gentili, matre Christiana. Ille tamen postea religionem Christianam amplexus est. Mater, *Monica* nomine, Christiana pietate maximopere excellebat. Maternâ erga filium caritate ducta, a teneris inde eum pietatis ac virtutis studio imbuit, atque omnem dedit operam, ut animum ejus propensum in religionem Christianam redderet. Nec omnino frustra; nam cum adhuc puer in morbum gravem incidisset, ipse petiit, ut lavacro baptismali tingeretur. At vero cum brevi post convaluisset, monente matre, ritum illum, pro istorum temporum more, distulit.

Ferox erat puero indoles, quam prudentia ac mansuetudine lenire mater studuit. Bonis etiam literis ut mature erudiretur, curabant parentes. Neque tamen initio placebant ei studia severiora: animus enim totus in ludis erat, et in victoria a condiscipulis reportanda. Quare a parentibus Madauram mittitur, civitatem vicinam, ut literis operam daret. Hic majorem Gramma-

ticae et Eloquentiae studiis operam dedit. Veterum Romanorum scriptis, Poetarum inprimis delectari coepit; a Graecorum vero literis, ut ceteri Afri, alienior mansit, cum propter difficultatem linguam peregrinam addiscendi, tum propter magistri asperitatem, minis quippe poenisque utentis. Ipse postea fassus est, se minime Graecam linguam callere: quod tamen non ita est accipiendum, ac si linguae Graecae scientiae plane exfuerit. Contrarium enim ejus scripta testantur.

At quos Madaurae facere poterat Augustinus in literis et oratoria arte progressus, non satis faciebant animositati Patris, quae, nulla non magna de filio sperans, eum Carthaginem, ubi schola tum florebat omnium celeberrima, mittere cuperet. At vero dum longinquioris peregrinationis sumtus parabantur, ex necessitate domestica, feriatus ab omni schola, per integrum annum, aetatis autem erat decimus sextus, cum parentibus degit. Hoc tempus Augustino infelicissimum fuit. Ab omni enim labore vacans, una cum pravis commilitonibus, oblectamentis et voluptatibus vixit, a quibus revocare eum matris neque monita, neque lacrymae valuerunt. Tandem Carthaginem adiit, ubi vitiorum illecebris pravoque condiscipulorum exemplo brevi captus, voluptati et libidini totum se dedit. Deprecabatur quidem a Deo castitatem, sed non nisi postquam ante pravae cupidini satis fecisset, et, ne cito exaudiretur, timens. Concubinam sibi sumsit, quae ei annos 18 nato filium peperit. Hoc fere tempore pater decessit, cujus tamen mors non impedivit, quominus Carthagine literis operam dare pergeret. Id quidem eo studio eâque diligentia

fecit, ut brevi omnibus condiscipulis antecelleret, inprimis eloquentiâ; quâ re non parum superbiebat.

Non mirandum profecto id egisse Manichaeos, tunc temporis in Africa frequentes, ut talem tantaeque spei juvenem ad suas partes traherent. Quod iis bene successit. Augustinus enim, Ciceronis Hortensio ad philosophiae studium ductus, huic totum se dederat. Praeterea orationis Ciceronianae praestantiâ alienus factus erat a Scripturae Sacrae lectione. Cum vero vidisset, omnem Philosophorum doctrinam desiderio sapientiae ac scientiae, quo flagrabat, satis facere minime posse, neque animo suo pacem et quietem, quam quaerebat, conciliare, Manichaeis facilis de eo victoria fuit, utpote de quorum scientia, mysteriis plena, magna omnia sibi ipse promittebat. In eorum igitur disciplinam se tradidit, 20 annos natus, idemque aliis, ut facerent, persuasit.

Nemo vero magis quam mater hoc dolebat. Frustra tamen Episcopo, qui et ipse olim Manichaeus fuerat, persuadere conata est, ut filium ad Ecclesiam Catholicam reducendi periculum faceret: ipsum enim sponte erroris convictum iri dicebat, si modo aliquod temporis spatium praeterlapsum esset.

Rediit Augustinus Tagastam, ibique Grammaticam docuit, attamen brevi post, mortuo amico quodam integerrimo, Carthaginem adiit, ut dolorem leniret. Hic docuit Rethoricam.

Per novem jam annos Manichaeus fuerat, frustra exspectans mysteriorum illam revelationem, ad quam non nisi per gradus multos poterat perveniri. Inde eum suspicio incessit, se a Manichaeis decipi; sibique persuasit

adeo, vanam esse eorum doctrinam. Nec continuo tamen sectam illam deseruit; in ejus vero societate perseverare decrevit, donec melius quid invenisset.

Anno 383 Romam profectus est, ut doceret eloquentiam, quod cum ei non bene succederet, anno sequenti Mediolanum petiit, ubi doctoris eloquentiae publici munere ornatus est. Multum ei profuit commoratio in ea urbe. Innotuit ei Ambrosius, urbis illius Episcopus, cujus viri sermonibus, quos saepius audiebat, factum est, ut plane missum faceret Manichaeismum atque Catechumenus in Ecclesia Catholica reciperetur, usque dum, quid verum esset, prorsus sibi persuasum foret.

Mater cum Mediolanum venisset, ut filium visitaret, impense gavisa est Manichaeismo eum valedixisse, et spem laetam fovebat, fore ut jam tandem Ecclesiae Catholicae vitaeque integritati sese addiceret. His tamen votis non statim satis factum est.

Concubinam dimisit quidem Augustinus, at brevi post aliam sibi sumsit. Mortis vero ac judicii futuri metu solo deterrebatur, quominus omni voluptati ac libidini se denuo traderet. Manichaeismum reliquerat, sed tamen Ecclesiae Catholicae se minime dederat, omni quippe carens religionis et notitiâ certa, et amore sincero. Prope tamen jam aberat tempus, quo Augustini cum sentiendi, tum vivendi ratio plane commutaretur. Provida Dei curâ factum est, ut in Simplicianum incideret, senem venerabilem, a quo de meliori vita edoctus est. Ille narravit ei, quomodo Victorinus, qui Romae doctor fuerat eloquentiae, ad

animi vitaeque emendationem erat adductus. Augustinus, uti ipse fatetur, ad imitandum exarsit. Imprimis audito Pontitiano, Sancti Antonii vitam referente, se ipse cognoscere sibique displicere coepit. Hoc monente, frequentabat jam coetum Christianorum, legebat Platonem, maxime autem Epistolas Pauli Apostoli. Cum vero aliquando, grandi animi rixa obortâ, una cum amico Alypio in hortum domui adjacentem secesserat, ut precibus lacrymisque animum coram Deo effunderet efflagitaretque, ut ex hisce miseriis liberaretur; ecce vocem audire sibi visus est clamantem: »tolle, lege; tolle, lege." Surrexit Augustinus, jacebat enim genibus flexis sub fici arbore, nihil aliud reputans, nisi divinitus sibi juberi, ut aperiret Codicem, quem secum habebat, Epistolarum Paulinarum, ut legeret quod primum capitulum invenisset; memor similis rei, quae Antonio accidisset. Arripuit, aperuit; legit autem locum, quo primum conjecti sunt oculi: *Non in commessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentionibus et aemulatione: sed induite Dominum Jesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* (Rom. XIII. 13).

Diffugerunt ab hoc inde tempore ex animo Augustini tenebrae dubitationis. — Ex haeretico factus est Catholicae Ecclesiae socius; ex homine libidinoso et voluptatibus dedito vir vitae admodum austerae; qui scepticus fuerat, jam miraculo fidem habebat. Brevi post, suo se abdicans munere, cum exsultante matre paucisque familiaribus in amici Verecundi villam secessit, ut ab aestu seculi requiesceret, et precibus colloquiisque

de religione et de philosophia totus vacaret. Hinc factum, ut nonnulla ejus opera, philosophici maxime argumenti, et dialogica ratione conscripta, ex hac villa in lucem prodierint.

Anno 387, cum amico Alypio et Adeodato filio, Mediolani ab Ambrosio baptizatus est. Fugit tum ab eo, ut ait, sollicitudo vitae praeteritae, et erat bene ipsi. Mox consilium cepit in Africam remeandi. In ipso vero itinere, Ostiis Tiberinis, matrem suam morte amisit. Hinc Romae aliquamdiu substitit, ubi veteres amicos inveniebat Manichaeos. Hi renovare amicitiam cum Augustino cupientes, spe et exspectatione frustratos se viderunt. Omnem enim cum iis communionem effugiebat; iisque errores ac malos mores objiciebat; imo et publice eos, cum scriptis, tum colloquiis aggrediebatur.

Tandem in Africam rediit anno exeunte 388, ibique, quod dudum animo volverat, perfecit, ut cum paucis amicis, a ceteris hominibus segregatus, in agro, Tagastae vicino, commoraretur. Hic per tres annos vitam Monachicam egit. Locum, ubi vivebat, ipse appellabat *Monasterium*. Interim vero sanctitatis ejus fama ubivis crescebat. Quapropter omni studio cavit, ne Episcopus hic illic eligeretur. Hoc tamen anno 391 locum habuit: nam cum Hipponem iter fecisset, ut Valerium, illius urbis Episcopum, concionantem audiret, derepente a populo Ecclesiae Presbyter eligitur et invitus ab Episcopo statim inauguratur. Munus illud anno sequenti in se suscepit, a quo etiam inde tempore rebus Donatistarum se ita immiscuit,

ut eorum adversarius praecipuus esset: qua de re deinceps videbimus.

Qualis autem Augustino indoles fuerit, ex dictis jam liquet. Id maxime observandum, duarum inprimis animi facultatum, extraordinario modo se prodentium, singularem plane atque integerrimam in eo locum habuisse conjunctionem, *summi intellectus* scilicet atque *sensûs vividissimi*. Haec enim conjunctio effecit, ut *scholasticus* pariter atque *Mysticus* suo jure *summus* dicendus sit. Facile quidem capiebatur rerum sensibus subjectarum illecebris, unde magna ejus erat juvenili imprimis aetate in omnem voluptatem propensio, cui et dedit se totum, quamque difficillime demum vincere potuit ac debellare. At hac subactâ tandem, non potuit non in aliud extremum ruere, atque sua phantasiâ ductus, singularem illam Theologiae atque vitae Christianae rationem amplecti, cujus ipsa ejus indoles et quae expertus est fata fons maxime essent.

Nec praetereundus est *nimius ille sui sensus*, qui in Augustino cernitur. Ex eo enim nata est superbia, dominandi cupiditas et intolerantia, quibus factum, ut Donatistas omnium minime ferret, Hierarchiae quippe renitentes Ecclesiasticae et auctoritati Episcopali. Non omittendus quidem ingenuus ille animi ardor, quem in defendendo id, quod verum esse semel agnoverat, nec minus in salute Ecclesiae Catholicae promovenda ostendit. At quo minus ardor ille aut purus semper, aut sibi constans esset, eadem illa animi vitia multum videntur prohibuisse.

De Augustini *eruditione* varia sunt variorum judicia. Nec tamen quis, si temporum, quae vixit, rationem habeat, magnam eam fuisse negabit; aut, quin inter doctissimos Ecclesiae Latinae Patres sit referendus, dubitabit. Imprimis sic judicabit, qui reputaverit eum non mature Theologiae studiis incubuisse. Doctrinam autem superabat *ingenium*, imprimis vero acumen illud philosophicum, quod logice disputando excoluit, et maxime contra Donatistas exercuit. Imprimis nocuit ei literarum, cum Hebraicarum, tum Graecarum ignorantia. Hinc enim coactus fuit solis Latinis Sacrae Scripturae versionibus uti, unde rursus omnis ejus ratiocinatio falso saepius fundamento nititur. Scribendi ejus ratio durior est, et, mascula licet, saepius obscura et ab omni elegantia aliena (1).

§ 2

Origo et historia schismatis Donatistarum.

Non omnino inutile censeri potest, etiamsi rem per se tantum spectes, in originem inquirere schismatis, quod per duo et quod superat secula Ecclesiam Africanam, florentissimam tunc temporis orbis Christiani partem, dilaceravit effecitque, ut homines Christiani

(1) Secuti sumus POSSIDIUM, coaetaneum *vitae Augustini* scriptorem, et ipsum potissimum AUGUSTINUM in *Confessionibus* de se dicentem, cujus saepius verba retulimus. Ceterum conff. J. M. SCHROECKH, *Christliche Kirchengeschichte*, T. XV p. 219-288 et G. F. WIGGERS, *Versuch einer pragmatische Darstellung des Augustinismus und Pelagianismus*, T. I p. 7-33.

brutorum instar in se invicem saevirent. At vero ad justam argumenti nostri tractationem hanc disquisitionem prorsus necessariam esse, quisque fatebitur, cui perspectum sit, quantum lucis ipsi controversiae, Augustinum inter et Donatistas agitatae, afferat.

Origo igitur *schismatis* sane non tantum in electione Episcopi quaerenda est. Opportunitatem haec praebuit schismati, causa vero altius latet, et maxime quidem uti videtur, in ipsius Ecclesiae Christianae hoc tempore conditione. Privum enim ac proprium huic schismati characterem certamen tribuit, quod de rerum Ecclesiasticarum ac politicarum agebatur commixtione. Hoc autem certamen originem traxit e notionibus, paganae religioni, ut religioni civitatis, oppositis de universali hominum jure et conscientiae libertate, quas Christianismus in lucem protraxit.

Haec fuit primaria causa ac remotior. Accesserunt aliae, quae schisma praepararent. Hae proxime quaerendae sunt in illius Ecclesiae Christianae partis conditione, in qua schisma ortum est. Invenire illas nobis videmur in *fanatismo*, quem Montanismus maxime per omnem Africam excitaverat; in *persecutione Diocletiana*, quippe quae ansam praebuit, ut fanatismus iste se conspicuum redderet; in *electione* denique novi Episcopi Carthaginiensis, quae schismati publice prorumpendi occasionem dedit.

Montanismus in Asia minori ortus quidem, at brevi in Occidentem translatus, nova ratione ibi excultus est. Illius enim doctrina cum maxime practica esset, praeprimis Occidentalibus placuit. Africa propria

ejus sedes facta est, uti Tertullianus illius caput et princeps. Neque etiam postquam, Praxea inprimis auctore, haeresis haberi coeperat, vim suam et efficaciam in Ecclesiam Catholicam exercere desiit. Placita quidem damnabantur Montanistarum, eorum vero praecepta, mitigata paulisper, a Doctoribus probabantur Ecclesiae, maxime Africanae, celeberrimis. Semel vero usu recepta sensim paulatimque apud ipsos Catholicos majorem vigorem contraxerunt. Quid multa? Tertulliani scripta in Ecclesia magni semper facta sunt, ac sedulo a Catholicis legebantur. — Montanismum autem fanatismum sapere, quis non fatebitur, qui vel originem ejus teneat, vel principium, quo nitebatur, vel vitae rationem, quam iis, qui ad summum virtutis Christianae culmen eniti vellent, praescribebat? At fanatismus ille praeprimis conspiciendum se praebet in ea agendi ratione, quam persecutionum tempore sequi jubebat. Condemnabat enim fugam ac vetabat, ne quis mortem evadendi periculum faceret. Nec minus in eo conspicitur, quod alto supercilio in eos despiciebat, quos ut pote *Psychicos* ac *Sensuales* a *Pneumaticis* secernebat.

Hoc igitur fanatismo in Africa jam vigente, cum IV ineunte seculo Diocletianus Imperator in Christianos saeviret, haec sane persecutio fanatismum illum mirifice auxit. Sacros Codices magistratibus tradere tum cogebantur Christiani. Nonnulli vero ad martyrium adspirantes sponte se obtulerunt, fatentes se quidem Codices Sacros habere, at quos tradere nollent. Hoc autem ne fieret, cum cavere vellet Mensurius, tunc temporis Episcopus Carthaginiensis, vetuit, ne illi numero mar-

tyrum adscriberentur. Quid mirum, si jam omnes fanatici ei inimici essent? Nec opprobria, ut tali in re fieri solet, defuerunt. Exprobrabant ei, quod in eos durius egerat, qui fratres in carcere visitare vellent. Accusabatur tradidisse libros sacros, quod crimen ut celaret, excogitatam ab eo dicebant narrationem, loco Scripturae Sacrae in Ecclesia positos fuisse libros haereticorum; quae si tamen vera esset, fefellisse eum gentiles, quod Christianum dedeceat, perhibebant. Ab horum criminatorum parte stabat *Secundus*, Episcopus Tigisitanus, Primas Numidiae, qui hac de re Epistolam ad Mensurium scripsit.

Itaque causa schismatis aderat. Opportunitas desiderabatur. Nec tamen diu. Mortuo enim Mensurio, novus ei Episcopus erat sufficiendus. Mos autem ferebat, ut Episcopo defuncto succederet Archidiaconus. Caecilianus igitur, qui hoc munere fungebatur, Carthaginis Episcopus eligitur, invitis tamen Numidiae Episcopis, qui *Donatum a Casis Nigris* Carthaginem miserant, ut impediret, quominus Episcopus crearetur Caecilianus. Hic enim cum iis non faciebat, neque cum parte Ecclesiae Carthaginiensis rigidiore. Hujus fautrix erat *Lucilla*, mulier dives ac potens, sed infensa Caeciliano, qui Archidiaconus ejus valde carpserat superstitiosam reliquiarum venerationem. Cum autem res ita sese haberet, clericos nonnullos Carthaginem misit Secundus Tigisitanus, qui in aedibus Lucillae privatim cum ceteris agerent. Sic duae illae partes magis magisque a se invicem alienabantur, et sibi prorsus oppositae erant. Pars altera optimum judicabat prope-

rare inaugurationem Caeciliani, nec praestolari adventum Episcoporum Numidicorum, qui tamen ordinationi semper adesse solebant. Hi vero Carthaginem cum venissent, aegerrime hoc tulerunt. Caecilianum Episcopum agnoscere recusarunt, causam interponentes, a traditore factam Caeciliani ordinationem. Respondit quidem Caecilianus, sua innocentiâ fretus: »*si est quod in me probetur, exeat accusator et probet.*" Nemo vero prodiit. Tum Caecilianus se iis de novo ordinandum obtulit, at frustra; tumultuosa enim voce eum dimiserunt. *Majorinus* lector, domesticus Lucillae, ab iis Episcopus ordinatur, ac concilium 70 Episcoporum Numidicorum, Carthagine celebratum, Caecilianum ex Ecclesiae communione ejecit, quoniam se a traditore ordinari permiserat. Ut vero hac de re certiores redderet ceterarum Africae provinciarum Episcopos, quaquaversum litteras misit. — Sic prorupit schisma et in duas partes divisa est Ecclesia Africana.

Haec de origine schismatis, nunc breviter *ejus fata* persequemur (1).

Constantinus cum, victo Maxentio, anno 313 Africae latinae etiam dominus factus esset, Donatistarum se rebus immiscuit. Caecilianum scilicet, literis ad eum datis, Catholicae Ecclesiae Episcopum agnovit, partem vero Majorini omnibus juribus ac privilegiis exclusit.

---

(1) De origine schismatis off. Optatus *de schismate Donatistarum* Libri I c. 14—20. Augustin. *Brevic. Collat. III* diei § 24 seqq. ne alia citem loca. Legg. Schroeckh. Op. l. t. V p. 291—296 et A. Neander *Allgemeine Geschichte der Christl. Religion und Kirche* t. II p. 1. pag. 387—401.

Episcopi autem, qui cum Majorino faciebant, Constantinum adierunt petentes, ut Galliae Episcopi nonnulli judices suae causae constituerentur, quippe quos partium studio vacuos esse censebant. Hoc iis gratificatus est Imperator. Jussit enim, ut tres Episcopi ex Gallia una cum Miltiade, Episcopo Romano, Romae causam dijudicarent. Tum et Caecilianum cum decem Episcopis ipsi addictis et totidem Episcopos partis adversariae Romam arcessivit. Consederunt Episcopi judices, quibus Episcopus Romanus 15 Episcopos ex Italia addiderat, 6 Nonas Octobris anni 313. Res per triduum acta est. Adversarii Caeciliani praecipue objecerunt, eum ab universa plebe Carthaginiensi accusatum fuisse. Multa alia protulerunt, quae tamen vel probare non poterant, vel futilia erant, vel de quibus judicium ferre judices non necessarium existimarunt. Donato contra objicitur, quod schisma fecerat Carthagine, Caeciliano adhuc Archidiacono: cujus criminis etiam est convictus, ipse cum fateretur se tunc rebaptizasse et manum lapsis imposuisse. Damnatus igitur Donatus, ceteris vero Episcopis cum eo facientibus ad Ecclesiae Catholicae communionem redeundi optio data est, ubi et suos honores retinerent.

Acta concilii ad Imperatorem missa sunt. Episcopi autem Donatistarum cum se victos videbant, in Africam redierunt novos ubique excitantes tumultus. Efflagitarunt tamen ab Imperatore, ut de novo in causam suam inquiri juberet, quod etiam effecerunt. Nam Imperator jussit, ut in causam Felicis, qui traditionis accusatus erat, eodem modo, quo in res civiles, Cartha-

gine inquireretur, antequam concilium Episcoporum Arelati haberetur. Fecit illud anno 314 Aelianus, Proconsul Africae, atque utrâque parte auditâ, absolvit Felicem. His igitur peractis, Constantinus Episcopos totius imperii, una cum Caeciliano et Episcopis utriusque partis, Arelatum convocavit, ut concilium celebrarent. Habetur id Kalendis Augusti anni 314. Reus et accusatores aderant, atque causam suam defendebant. At vero iterum absolvitur Caecilianus, schismatis vero damnantur auctores.

Hoc etiam concilio 22 canones constituti sunt, ex quibus duo maxime spectabant Donatistas. Altero enim constituebatur, eos muneribus suis esse privandos, quos demonstrari poterat Codices sacros, vel bona Ecclesiastica tradidisse; altero vero valere ordinationem a traditore factam; item baptismum ab eodem administratum, modo factus sit nomine Patris, Filii et Spiritus Sancti.

Nonnulli vero partis Majorini asseclae, hac concilii sententiâ minime contenti, provocarunt ad ipsius Constantini judicium. Statim quidem id recusavit Imperator, dicens, acquiescendum esse in decreto concilii: dein tamen eorum desiderio satisfecit. Utramque partem anno 315 Romam arcessivit, ut ipse judex eorum controversiam dirimeret. Sed die constituta non aderat Caecilianus. Differtur judicium, aegre id ferentibus Donatistis. Hi vero, cum Imperator vellet, ut se Mediolanum sequerentur, fugâ se subtraxerunt. Nonnulli jussu Imperatoris custodiebantur. Constantinus vero certior factus, eos, qui se fugae dederant, novos

excitare in Africa tumultus, eos quoque, quos custodiâ tenebat, dimisit. Consilium cepit in Africam proficiscendi, ut ipse ibi utramque partem audiret; mentem tamen postea mutavit annoque sequenti 316 Caecilianum ejusque adversarios Mediolanum venire jussit. Venerunt, judex sedit Imperator ac denuo victrix fuit causa Caeciliani.

Leges nunc contra partem Majorini feruntur, quibus basilicae et loca, ubi conveniebant, iis auferri jubetur. At si vel inveniri potuisset aliquod eorum fanatismo remedium, non hoc sane fuit. Nam insolentiam Donatistarum ad furorem usque incendit effecitque, ut acriter in Ecclesiam Catholicam saevirent.

Moritur quidem anno 315 Majorinus, at caput et animus veluti partis ejus vivebat *Donatus a Casis Nigris*, vir partium studio excitando et fovendo aptissimus. Fervidâ enim erat et agresti eloquentiâ, propositi tenacissimus agendique studio flagrans. Hic Majorino successit. Ab eo etiam Donatistae nomen habent.

Ursacius, Imperatoris comes, ut leges contra Donatistas vim suam haberent, curare jussus, omni studio ac industria hoc fecit. Cum vero vi cogeret Donatistas ad Ecclesiae Catholicae communionem, ex iis orti sunt furiosi illi ac fanatici, *Circumcelliones* dicti, qui omnia sibi licere putabant, modo frustrarentur Ursacii conatus (1).

(1) Sic eos describit Augustinus c. Gaudent Lib. 1 § 32 » Genus hominum in horrendis facinoribus inquietum, ab utilibus operibus otiosum, crudelissimum in mortibus alienis, vilissimum in suis, maxime in agris territans, ab agris vacans, et victûs sui causâ cellas circumiens rusticanas, unde et Circumcellionum nomen accepit.''

Imperator, cum leges, quas tulerat, nocere potius quam prodesse videret, anno jam 317 epistolam scripsit ad Episcopos et plebem Ecclesiae Catholicae, quâ iis ferre suasit, quae per furorem istorum hominum patiebantur, nec sibi vindictam sumere, quae Deo soli competat: hoc enim si facerent, fanatismum sponte exstinctum iri. Anno vero 321, Constantino cum libellum exhibuerant Donatistae, quo peterent, ut libere agere sibi liceret, nec vi ad communionem Caeciliani cogerentur, dicentes: *nullo modo se communicaturos antistiti ipsius nebuloni, paratosque esse perpeti, quidquid iis facere voluisset* (1); Imperator perspiciens, quo furor istorum hominum eos ducere posset, rescripto ad Vicarium Verinum misso, omnem iis secundum suam persuasionem agendi libertatem concessit (2).

Et haec quidem rerum conditio mansit usque ad mortem Constantini. Hujus vero in Occidente successor, Constans, aliam inivit viam, qua schismaticos in Ecclesiae sinum reducere sperabat. Per Ursacium nimirum et Leontium, anno 340, argentum inter pauperes distribui curavit, simul edictum promulgans, quo Christianos in Africa ad unitatem Ecclesiasticam exhortabatur. Hoc patefacto Imperatoris consilio, statim suos excitarunt Donatistarum Episcopi, ut illi omni vi se opponerent. Novis hinc persecutionibus vexari coepti sunt, in quarum memoriam festum quotannis celebrandum a Donatistis instituitur.

(1) Augustin. Brev. Collat. d. III. § 39.
(2) Index Collat. D. III. c. 549.

Anno rursus 348 Imperator simili modo rei conficiendae periculum fecit, Paulo et Macario in Africam missis, ut largitionibus Donatistas Imperatori et vero Ecclesiae devincirent. Cum vero ad Donatum venissent, hic: *Quid est Imperatori cum Ecclesia* (1), inquit, omnem hujus repudians benevolentiam atque pacis restituendae curam. Litteras adeo per omnes provincias misit, ut socios suos hac de re certiores redderet, et consilium Imperatoris irritum redderet. Ita cum legati illi ad Bagaiam venerant, Donatistarum Episcopus omnes e vicinia Circumcelliones collegit, ut impediret, quominus illi civitatem intrarent. Sic vim facere coacti fuerunt. Unde ab hoc inde tempore maxime saevitum est in Donatistas, inprimis in Circumcelliones. Privantur basilicis; cultui sacro Catholicorum interesse coguntur; plura. Ipse in exilio moritur, caput schismatis, Donatus Magnus.

Postquam autem jam plus satis saevitum erat in Donatistas, atque restituta unitas Ecclesiae existimabatur, anno 349 Carthagine celebratum est concilium, quo duo constituti sunt canones; alter contra baptismi iterationem, alter ne martyres colerentur, qui se aut praecipites dederant, aut alio quodam pacto mortem sibi ipsi consciverant aut interfici meruerant.

Sublatam tamen Donatistis libertatem, mortuo Constantino, anno 361, iis restituit Julianus Imperator. Ex exilio nunc redierunt Episcopi eorum, jam sua vice in Catholicos impune saevientes.

---

(1) Optatus l. c. Lib. III. c. 3.

At subito hanc libertatem iterum amiserunt. Singuli enim, qui Julianum secuti sunt Imperatores, persecutionibus gravissimis ad Ecclesiae communionem Donatistas cogere student. — Vel sic tamen ipsi maxime interitum sibi parasse censendi sunt, ab anno inde 377 sectis inter eos ortis, Maximianistarum maxime, quae se invicem persecuti sunt et dilacerarunt.

Simul Adversarios nacti sunt scriptis eos aggredientes. In his OPTATUM Episcopum Milevitanum, maxime vero AUGUSTINUM, de quo nunc ita nobis agendum erit, ut priori disputationis parte *agitatae eum inter et Donatistas controversiae historiam*, alterâ *argumentum* exponamus (1).

(1) Praeter VALESIUM et NORISIUM, de historia Schismatis prae ceteris cff. SCHROECKH Op. l. T. V. p. 306 seqq. T. VI. p. 264 seqq. T. XI p. 364 seqq. et NEANDER Op. l. T. II p. 1. p. 402—420.

PARS PRIOR.

CONTROVERSIAE,

AUGUSTINUM INTER ET DONATISTAS AGITATAE,

HISTORIA.

Augustinus cum in Africam redierat, anno 391 Presbyter Ecclesiae Hipponis Regii in Numidia a populo electus, cum dolore schismaticos ibi numero excedere Catholicos comperit (1). Haec res animum ejus movit ac sponte ei ansam dedit, ut se adversarium Donatistarum praestaret (2). Suâ enim doctrinâ ac disputandi peritiâ fretus sibi persuaserat, se illud effecturum esse, quod omnes boni vehementer sperabant, si modo Donatistae argumentorum pondere se moveri paterentur (3). Statim igitur eos aggressus est in sermonibus publicis ac privatis et in institutionibus domesticis. Dat etiam litteras ad eorum Episcopos aliosque

(1) Narrat Augustinus (c. litt. Petil. Lib. II § 184) Faustinum, Donatistarum Episcopum Hipponensem, pauci cum Hippone essent Catholici, vetuisse, ne quis iis panem coqueret.

(2) Cf. Possidii vita August. c. 7.

(3) Cf. Augustin. c. Crescon. Donat. Lib. I § 4.

viros primarios, quibus eos hortatur, ut in veritatem inquirant, eosque ad collationem invitat (1).

§ 1.

Primum in prolixa scriptorum contra Donatistas serie locum occupat PSALMUS CONTRA PARTEM DONATI. Scripsit hunc Psalmum anno 393, paulo post susceptum presbyterii munus, eo consilio, ut plebs causam Donatistarum cognitam haberet et memoriâ teneret (2). In strophas divisus est, quarum singulae ab alia incipiunt litera secundum ordinem alphabeticum, unde *abecedarius* dictus est. Ad finem singularum stropharum verba repetuntur: *Omnes, qui gaudetis de pace, modo verum judicate.* Metrum autem neglexit, ne cogeretur verbis uti, quae plebs non intelligeret. Epilogum addidit, quo matrem Ecclesiam Donatistas alloquentem inducit. — Psalmi argumentum versatur in historia schismatis tradenda et in argumentis contra illud exponendis. — Hoc autem opusculum consilio pacis et caritatis restituendae, quod auctor prae se fert, non respondisse ac indignum esse Augustino judicat summus SCHROECKH (3), quocum libenter facimus.

Eodem fere tempore (post Psalmum enim ab eo memoratur in libris Retractat.) librum scripsit CONTRA EPISTOLAM DONATI, qui periit. In eo sententiam refu-

(1) Cf. Possidius l. c. c. 9, 10 et 12.
(2) August. Retract. Lib. I. c. 20.
(3) Op. l. T. XI p. 408 et 9. T. XV p. 321.

tare conatus est apud Donatistas tantummodo verum esse baptismum (1).

Hoc etiam loco memoranda est EPISTOLA AD MAXIMINUM, EPISCOPUM DONATISTARUM scripta, quae est inter Epistolas Augustini 23ª. Scripsit eam, ut ab illo resciseret, num verum esset, quod fando audiverat nec tamen credere poterat, eum diaconum Ecclesiae Catholicae, qui ad Donatistas transierat, iterum baptizasse. Ansam inde cepit rebaptizationem refutandi, argumento etiam ex eo ducto, quod non iterata sit circumcisio. Appellat Maximinum *Dominum dilectissimum et honorabilem fratrem;* et quare hoc fecerit, ab initio epistolae exponit.

Haec ab Augustino scripta sunt adhuc presbytero. Anno vero 395, invitus a Valerio Episcopo Ecclesiae Hipponensis Coepiscopus adoptatus, annoque proximo, mortuo Valerio, a populo Episcopus constitutus (2), plura ac majora egit. Nam et Synodus Ecclesiarum Catholicarum ex omnibus Africae provinciis, anno 393,

---

(1) Cf. August. Retract. Lib. 1. c. 21 ubi etiam memorat, se in illo libro de Apostolo Petro dixisse: *quod in illo tamquam in petra fundata sit Ecclesia:* postea vero se ita locum, unde haec verba repetita sunt, exposuisse, ut »dictum sit a Domino: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, ut *super hunc* intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi*: ac sic Petrus ab hac petra appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi, *Tu es petra*: sed *tu es Petrus*. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon... dictus est Petrus."

(2) Possidius l. c. c. 8. August. Ep. 31 § 4.

Hippone habita, non potuit non excitare Augustini ardorem (1).

§ 2.

Jam frustra Proculeianum senem, Donatistarum Hippone Episcopum, scriptâ ad eum Epistolâ, ad collationem secum instituendam permovere studuit. Simulabat enim ille se imparem esse Augustino (2). Anno tandem 397 collationem habuit cum Fortunio, Donatistarum Episcopo Tubursici. Consenserat enim Fortunio convenire cum decem utriusque partis Episcopis, pacis ac caritatis studiosis, in loco quodam, ubi neutra pars Ecclesiam haberet, attamen utriusque socii reperirentur, ut periculum facerent utramque partem reconciliandi. Multi Donatistae collationi adfuerunt. Hinc factum est, ut magnus interdum tumultus exstiterit, nec dicta calamo excipere potuerint notarii.

In hac collatione Fortunius perhibebat, Donatistas cum Christianis in omni terrarum orbe communionem habere; quod vero refutat Augustinus, dicens, eos non posse, quo vellent, *epistolas* dare *communicatorias*. Provocatur porro a Fortunio ad persecutiones, quas patiebantur Donatistae. Hoc enim existimari vult indicium, eos esse veri nominis Christianos. Ab Augustino vero ad hoc respondetur: ita sane esse, si modo persecutio propter justitiam fiat; quod fateri de

(1) De hac Synodo conf. SCHROECKH, Op. l. T. XI p. 410 seqq.
(2) Cf. Ep. 33 Opp. August T. II p. 47 seqq. ex edit. Monach. Bened.

iis non licebat, cum e contrario propter nefarium schisma persecutiones paterentur. Addit autem: sit ita, injuste persecutiones passos esse Donatistas; justam certe causam non exstitisse, cur se ab Ecclesia Catholica separaverint; nam Dominus exemplo Iudae docuit, pravos tolerandos esse a bonis. Hoc argumentum movit Donatistas, qui aderant. Frustra enim a Fortunio respondebatur, communionem cum Iuda Proditore nocere non potuisse Apostolis, quippe qui nondum baptismum acceperant. Res infecta mansit. Inter utrumque tamen virum convenit alio tempore iterum colloquium habere.

Exitum hujus collationis narrat Augustinus in EPISTOLA, ad tres DONATISTARUM EPISCOPOS scripta, quâ laudat Fortunii inprimis caritatem, eosque simul invitat, ut colloquium secum in parva quadam villa habeant (1).

§ 3.

Cum vero opportunitas cum Donatistis publice disputandi se non offerret, scriptis eam rem eo plus egit Augustinus, annoque circiter 400 multa scripta edidit hanc controversiam spectantia.

Inter ea primo loco recensenda est EPISTOLA, quam ad CRISPINUM scripsit, postquam hunc frustra ad collationem evocaverat. Praecipua in ea exponit argumenta, quibus Donatistae induci possent, ut in gratiam

(1) Est Ep. 44 Opp. Augustini T. II p. 76 seqq.

redirent cum Catholicis: inprimis illud, gravius peccari ab Ecclesia Catholica se separando, quam Codices Sacros tradendo (1).

Duas ejusdem argumenti epistolas misit ad aliosDonatistas. In alterutra etiam argumentum affert e continua serie Episcoporum in Ecclesia Romana a Petro inde repetita (2).

Scripsit etiam II Libros contra partem donati, quod opus periit. In eo autem suasisse videtur, ne violentia adhiberetur ad reconciliandos Donatistas. Postea vero fassus est, se tunc non cognovisse, vel quantum mali afferat eorum impunitas, vel quantum valeat disciplinae diligentia (3).

Supersunt tria magna opera eodem hoc fere tempore scripta, quae abunde testantur, quanta fuerit diligentia Augustini in refutandis Donatistis. Inscribuntur:

Libri III contra epistolam parmeniani.

Libri VII de baptismo contra donatistas.

Libri III contra litteras petiliani.

Opus vero, contra quod attulit centurius a donatistis, quod post libros de baptismo recenset Augustinus, periit (4).

Opus contra parmenianum scribendi ansam Augustino dedit Epistola, quam scripserat Parmenianus, Donatistarum Carthaginiensium Episcopus, Donati successor (5), ad Tichonium, »hominem", ut ait Augus-

(1) Ep. 51 Opp. August. T. II. p. 88 seq.
(2) Ep. 52 et 53 Opp. August. T. II p. 89 seqq.
(3) August. Retract. Lib. II c. 5.
(4) Cf. August. Retract. Lib. II c. 19.
(5) Contra eumdem etiam optatus milevitanus opus suum scripsit.

tinus, »et acri ingenio et uberi eloquio," qui scriptis suis praecipuam Donatistarum doctrinam refellere videbatur. Nam, ut verbis utar Augustini »omnibus sanctarum paginarum vocibus circumtusus evigilavit, et vidit Ecclesiam Dei toto orbe diffusam, sicut de illa tanto ante per corda et ora sanctorum praevisum atque praedictum est." Hac autem de re persuasus contra Donatistas asserere instituit: »nullius hominis quamvis sceleratum et immane peccatum praescribere promissis Dei, nec id agere quorumlibet intra Ecclesiam constitutorum quamlibet impietatem, ut fides Dei de Ecclesia futura et diffundenda usque ad terminos orbis terrae, quae in promissis Patrum retenta et nunc exhibita est, evacuetur". Nec tamen virum illum animadvertisse, dicit Augustinus, ex ejus disputandi ratione sequi, Christianos in Africa ad Ecclesiam per totum terrarum orbem diffusam pertinere. Hoc tamen perspexisse Parmenianum ceterosque Donatistas, illumque proinde ad Tichonium, ut erroris eum convinceret, illam scripsisse epistolam. Huic igitur epistolae, petentibus fratribus, mortuo jam Parmeniano, hoc opere respondet Augustinus (1).

Libro 1°. amovet a Catholicis varias eriminationes, quibus Parmenianus eos petiverat illasque in Donatistas transfert, originem ac progressum schismatis, quod illi effecerant, memorans C. 2-9. A Cap. 10-13 jus Principis schismaticos aut haereticos puniendi defendit.

---

(1) Cf. August. Lib. I c. ep. Parm. § 1. Epist. 93 § 44 T. II. p. 188.

C. 14 adspergit aliquid de necessitate commixtionis bonorum et malorum in Ecclesia.

Libris duobus posterioribus expenduntur loca Scripturae Sacrae, quibus Parmenianus usus erat, ut schisma Donatistarum defenderet. Valde queritur de eorum coecitate, singula loca tractans ac probans, ea potius eos ipsos damnare. — Admiramur profecto Augustini sagacitatem, et ingenii orationisque ubertatem in refutandis argumentis ex illis locis petitis, at vero simul miramur, quam longe absit a vera sacrarum litterarum interpretandi ratione. — Opus scriptum esse videtur a. 400. Statim post illud memorat Augustinus

Libros VII de baptismo contra Donatistas (1).

Scripsit hoc opus Augustinus, ut ostenderet, nullâ aliâ re melius Donatistas refelli posse, quam litteris factoque Cypriani, ad cujus auctoritatem perpetuo provocabant Donatistae (2). Donatistae enim omnem damnabant baptismum, qui extra Ecclesiam administratur, atque ut hanc suam sententiam tuerentur, provocabant ad Cypriani auctoritatem, quippe qui baptismum haereticorum damnavisset.

Libro I demonstrat Augustinus, baptismum ab haereticis vel schismaticis extra communionem Ecclesiae Catholicae administrari posse, non ab iis tamen accipiendum; atque talem baptismum non prodesse, quamdiu qui eum accepisset in haeresi vel schismate persevera-

(1) Retract. Lib. II c. 17. Vid. admonitio ad hoc opus in edit. August., quam curaverunt Monachi Benedict.

(2) August. Retract. Lib. II c. 17.

ret. Solvit simul quaestiones, quas Donatistae objicere solebant.

Libris sequentibus id agit, ut Donatistis auctoritatem Cypriani eripiat; et docet quidem Libro II auctoritatem Cypriani Donatistis potius, quam Catholicis obesse, ille enim propter pacis atque unitatis Ecclesiae studium decessoris sententiam de non baptizandis haereticis ad Ecclesiam redeuntibus recepit. Totius disputationis fundamentum posuit jam ad finem Libri primi.

Libris III, IV et V refellit ea, quae Cyprianus in scriptis suis attulit ad sententiam suam probandam: baptismum extra Ecclesiam dari non posse.

Libris VI et VII sententiae Episcoporum, qui concilio Carthaginiensi, cura et auctoritate Cypriani celebrato, adfuerunt, de baptismate haereticorum expenduntur.

Anno criciter 400 scripti etiam videntur LIBRI III CONTRA LITTERAS PETILIANI DONATISTAE, CIRTENSIS EPISCOPI.

Petilianus, qui teste Augustino (1) tantopere inclaruit in foro, ut nomen *paracleti* se promeruisse jactitaret, Catechumenus cum esset in Ecclesiâ Catholicâ, aliquando a Donatistis in urbe Cirtha vel Constantina, metropoli Numidiae, arreptus invitusque baptizatus, et Episcopus ordinatus est (2). Acerrimus partis Donati vindex factus est, ita ut in collatione Carthaginiensi primas in disputando cum Catholicis partes egerit. Augustinus etiam doctrinam ei ac facundiam abjudi-

(1) Hujus operis Lib. III § 19.
(2) Ibid Lib. II § 239. Serm. de gestis cum Emerito § 8.

care non potuit, ei tamen objecit strepitum advocati forensis, arte populum decipientis (1).

Hicce vero Petilianus epistolam ad presbyteros suos contra Ecclesiam Catholicam scripsit. Eam refellendam sibi sumsit Augustinus, »ne, quisquis eam scripsit, aliquid sibi apud imperitos adversus Catholicam scripsisse videretur" (2).

Libro I primae parti Epistolae respondet, quoniam reliqua pars nondum in manus venerat. Refellit igitur cum ex S. Scriptura, tum ex historia sententiam Petiliani, Catholicos non habere veri nominis baptismum, propter malos eorum doctorum mores. Postquam autem totam legerat epistolam, accuratius eam refellere instituit, et ita quidem, ut omnia et singula verba epistolae afferat, et ad ea respondeat; unde factum est, ut tota fere epistola Petiliani servata sit.

Tertium Librum addidit, ut refutaret ea, quae Petilianus, lecto primo hujus operis libro, contra auctorem contumeliose attulerat, atque, omissâ sui ipsius defensione, ostendit, Petilianum deflexisse a disputationis argumento ad causam suam defendendam, neque quaestioni, de qua ageretur, satis fecisse. — Hoc opere omne fere controversiae argumentum fuse tractatur, quapropter ad rite illud cognoscendum praeclarum habet usum.

Hic etiam commemorari potest opus Augustini anno 402 scriptum, cujus titulus: AD CATHOLICOS EPISTOLA

---

(1) Lib. 1. § 1.
(2) Ibid.

CONTRA DONATISTAS, vel etiam de UNITATE ECCLESIAE LIBER UNUS. Argumentum hujus Epistolae versatur in definiendo, ubi sit Ecclesia: num apud Catholicos, an vero apud Donatistas. Hac in re solis utitur S. Scripturae testimoniis. Ex locis igitur cum Veteris, tum Novi Foederis efficere conatur, Ecclesiam Christi veram eam esse, quae toto terrarum orbe diffusa est. Loca vero, quae a Donatistis pro sua causa afferri solebant, nihil probare ostendit, quippe quae ambigua sint ac incerta. Datâ occasione Donatistarum calummiae, quibus Catholicos petebant, refutantur. Dicit se hanc epistolam scripsisse ad Catholicos, ut morem Petiliani sequeretur, qui suam epistolam ad Donatistas scripserat (1). — Permultum lucis etiam hoc opus controversiae argumento affundit (2).

§ 4.

Cum haec igitur satis multa scriberet, alia etiam via ad propositum pervenire conatus est. Eodem enim tempore Synodi celebrabantur, ut consuleretur, quomodo Donatistae cum Ecclesia reconciliari possent. Anno 401 duae Carthagine habitae sunt, in quibus, quid sua auctoritate et amicitia, quam cum Aurelio, qui Praesidis munere fungebatur, colebat, effecerit Au-

(1) Hujus Op. § 1.

(2) Nulla de hoc opere mentio fit in Augustini Retractationibus, unde subinde spurium a viris doctis habitum est. At fortasse causa quaerenda est in eo, quod Epistolae formâ scriptum sit. Cf. admonitio Monachorum Benedictinorum ad h Op.

gustinus, non opus est, ut fuse exponam. Quae enim ibi decreta sunt de re Donatistarum plane conspirant cum Augustini tunc temporis cogitandi ratione. Decretum autem *primo* loco est, eos, qui a Donatistis ad Ecclesiam Catholicam redirent, munera servaturos, quibus in Donatistarum societate functi essent. Hac ratione facilior Episcopis Donatistarum factus est reditus ad Ecclesiam Catholicam. *Secundo:* a magistratibus petitum iri, ut res coram judice Donatistas inter et Maximianistas gestas colligerent, et annotarent, quae etiamnum agerentur. Denique *tertio:* nonnullos ex Episcopis, qui aderant, missum iri ad Donatistarum Episcopos et coetus, ut schisma Maximianistarum iis objicerent atque inde ostenderent, quam futiles essent causae, quibus adducti in Ecclesiam Catholicam redire nollent (1).

Haec agendi ratio vim schismatis Donatistarum parum imminuit: nam cum viderent Donatistae, se a suis Episcopis relinqui, sibique objici schisma Maximianistarum, ad quam objectionem nihil eos respondere potuisse narrat Augustinus (2); atque hinc multos partibus Donati valedicere, excitarunt furorem Circumcellionum, qui novo ardore in Catholicos saevire coeperunt (3). Animos ergo exacerbasse potius, quam reconciliasse censenda sunt synodi decreta.

Multi interim Donatistarum, ut episcopi utriusque partis convenirent atque sic lites componerentur, efficere

---

(1) Conf. Appendix T. IX. Opp. August. p. 29 et 30.
(2) C. Cresc. Don. Lib. III § 49.
(3) August. c. Cresc. Lib. III § 46, 50. Ep. 88, 105.

pressum iri putabant. Nec ex votis tamen res cessit. Nam multi quidem ad Ecclesiam Catholicam accesserunt, plurimi vero horribili morti se tradere, quam cum exosa parte in gratiam redire malebant. Inprimis Circumcelliones novo ardore terram peragrarunt, aedes Catholicorum cum privatas, tum publicas spoliantes ac comburentes. Ipsi autem saepe vulnerabantur et occidebantur (1).

§ 5.

Hisce legibus latis, Augustinus a. 406 spissum opus scripsit, cui titulus: CONTRA CRESCONIUM GRAMMATICUM PARTIS DONATI LIBRI IV.

Cresconius nimirum Grammaticus epistolam ad Augustinum scripsit, in qua partes Petiliani contra eum suscepit. Legerat enim eam operis Augustini contra Petilianum partem, quâ prima Petiliani epistolae pars refellitur. Laudat quidem Cresconius Augustini eloquentiam, at simul asserit, artem illam societati humanae magis nocere quam prodesse: objicit ei, quod perpetuo excitet Donatistas ad collationem, laudatque Donatistarum clericorum agendi rationem, quod nihil hac de re ad populum referant. Accusat porro Augustinum arrogantiae, quoniam litem se diremturum putabat, quod per tam longum temporis spatium non potuerunt multi viri docti ac judices. Tandem animadvertit, Donatistis magis prodesse, cavere Augustinum dialecticum, quam refellere eum conari.

---

(1) August. c. Crescon. L. III § 46. Ep. 88 et 111.

Ad haec IV Libris respondit Augustinus. Libris III prioribus universo operi respondisse censeri potest; iis vero IV Librum addidit, quo Cresconium ex sola Maximianensium causa refelleret (1).

Libro I defendit eloquentiam, damnatam a Cresconio, liberat se arrogantiae crimine, cujus accusatus erat. Arguit porro se non reprehendendum esse, quod eos, qui veritati resistunt, vincere conetur, nec hac in re negligendam esse dialecticam docet, ejusque usum defendit. Porro probat, non bene rationem concludi ex eo, quod baptismus apud Donatistas sit, illum etiam ibi accipiendum esse. Baptismus enim extra Ecclesiam Catholicam frustra et perniciose, sed tamen vere ac omnino idem habetur.

Libro II alia epistolae loca tractat. Concedit, *Donatianos* potius, quam *Donatistas* a *Donato* dici; cum enim de re constet, de nomine non esse laborandum dicit. Donatistas haereticos esse contendit, nec tamen redeuntes in Ecclesiam iterum baptizandos. Clericos autem, si Ecclesiae utilitati conveniat, ita, ut honores suos retineant, recipi posse docet, redeuntibus enim in Ecclesiam dari caritatis donum. Male a Cresconio defendi Petiliani illud »*conscientia sancte dantis attenditur*, *quae abluat accipientis*" demonstrat, refellitque interpretationem nonnullorum Sacrae Scripturae locorum a Cresconio probatam. Postremo ad objectionem, ex auctoritate Cypriani de rebaptizandis haereticis petitam, respondet.

---

(1) Retract. Lib. II. c. 26.

Libro III reliqua pertractantur epistolae loca, quae singula breviter refelluntur, quem in finem adhibet Donatistarum historiam.

Libro IV totam epistolam ex sola Maximianensium historia refellit.

Eodem tempore alia etiam scripta edidit, quae tamen omnia perierunt. Enumerantur:

PROBATIONES ET TESTIMONIA CONTRA DONATISTAS,

CONTRA NESCIO QUEM DONATISTAM,

ADMONITIO DONATISTARUM DE MAXIMIANISTIS (1).

Superest: LIBER DE UNICO BAPTISMO CONTRA PETILIANUM, anno 410 scriptus.

Librum cum scripserat Petilianus de unico baptismo, hunc ad Augustinum attulit amicus quidam, efflagitans, ut ei responderet. Hoc fecit. Refellit Petiliani sententiam, in sola vera Ecclesia esse baptismum. Neminem porro in Ecclesiae unitate maculari alienis peccatis, ex ipsius Cypriani agendi ratione probat. Postremo Petiliani calumnias, Melchiadi et aliis quibusdam Catholicis Episcopis illatas, propulsat.

Non amplius etiam exstat LIBER DE MAXIMIANISTIS CONTRA DONATISTAS, qui post librum de unico baptismo ab Augustino recensetur (2).

Antiquae interim leges, incitante synodo a 407 Carthagine habita, repetitae atque novae additae sunt (3).

Anno vero 408, jussu Imperatoris interfecto Stilicone, omnium fere Imperii rerum administratore et duce

(1) Cf. August. Retract. L. II. c. 27—29.
(2) Retract. Lib. II. c. 35.
(3) Cf. Appendix Opp. August. T. IX p. 32.

militum in Africa, Donatistae omnia mala, quae subierant, huic esse tribuenda, nec Imperatorem quidquam de iis novisse, existimarunt. Epistolam etiam libertatis, Imperatoriae sibi ante missae oppositam, Imperatoris nomine finxerunt, atque de novo in Catholicos saevire coeperunt (1). Propterea Synodo, anno 408 Carthagine habita, decretum fuit, ut legatio mitteretur ad Imperatorem, qua hac de re certior fieret.

At Augustinus privatim etiam aliquid fecit. Epistolam scripsit ad Olympium, qui Stiliconi successerat, qua ab eo petit, ut Imperator mentem suam de hisce legibus enunciaret (2). Eodem anno leges non solum confirmavit Imperator, sed etiam, ut eae vim exercerent, jussit.

Cum igitur Imperatoris mens Augustino innotuisset, ad Donatum, Proconsulem Africae, epistolam scripsit, quae docet, Augustinum, secus ac turbidi zelotae, persecutiones consilio instituisse. Petiit enim a Proconsule, ut omni, quo posset, modo, leges Imperatoris leniret. Atqui hic ipse erat, qui severas per Olympium leges efflagitaverat (3).

Has vero leges anno 410 ipse abrogavit Honorius, metuens, ne propter Alarici invasionem amitteret Africam, omnibusque in Africa sectis aequalia jura tribuit. Flagitante tamen Synodo, Carthagine habita, restituit legem, qua haeretici, qui publice convenissent, exilio vel morte punirentur (4).

(1) August. Ep. 105.
(2) Ep. 97.
(3) Ep. 100.
(4) Cf. Appendix. Opp. August. T. IX p. 33.

§ 6.

At vero Augustinus cum videret persecutiones non id efficere, quod volebat, nec scripta sua Donatistis de veritate persuadere, omnem spem suam posuit in collatione cum Donatistis, non quae institueretur cum paucis viris doctis, sed universali jussu Imperatoris instituta. Atque nunc, ut ea locum haberet, omnem operam dedit. Communicavit propositum Coëpiscopis commendavitque. Placuit illud iis, quapropter legatos ad Imperatorem miserunt, qui talem collationem peterent. Hoc enim certum ponebant, Donatistas huic rei consensuros, cum anno 406 colloquium petiverant (1).

Honorius concessit id, quod petebant. Intra spatium quatuor mensium collationem habendam esse constituit. Si vero Episcopi Donatistarum, cum Catholicis convenire recusarent, ter evocandos esse; sin persisterent, omnes eorum Ecclesias cogendas, ut se cum Ecclesia Catholica reconciliarent; sic enim ipsos se victos esse facto agnovisse. — Commissarium constituit Flavium Marcellinum, ut judex inter utramque partem sederet. Consulere, quantum quidem fieri posset, verae religioni, inprimis Imperator commendat (2).

---

(1) Cff. Possidii vita August. c. 18 et ipse August. Brev. Coll. D. III § 6.

(2) Cf. Aug. Brev. Coll. I D. c. 1. Edictum Imperatoris exstat in Appendice Opp. August. T. IX p. 84.

Marcellinus omnia egit, quibus Donatistae, Carthaginem venire inducerentur (1). Utraque pars morem edicto gessit, ac tempore constituto utrimque Episcopi Carthaginem unà venerunt. Adfuerunt 286 Episcopi Catholici. Totus autem eorum in Africa numerus 470. Donatistarum Episcopi 279. Hi unà Carthaginem ingressi sunt.

Cognitor, quo titulo insignitus erat judex designatus, nonnulla constituit de modo collationis habendae. In his, ut utraque pars septem eligeret Episcopos, qui secum invicem disputarent, hisque septem adderet, qui illis consilio essent; atque ut eligerentur quatuor ab utraque parte, qui disputata calamo exciperent (2). Memoranda hic est EPISTOLA, a parte Catholica ad Marcellinum scripta, cujus auctor est Augustinus, qua respondetur Marcellini edicto. In ea enim postquam expositum est, quid proprie dijudicandum sit, testantur Catholici, sese, misso munere Episcopali, Donatistis subjecturos esse, hi si probassent, Ecclesiam per omnem terrarum orbem periisse et apud Donatistas solos superesse. Si vero vincerentur Donatistae, eos tamen munera sua servare posse (3).

AUGUSTINUS a parte Catholicorum inter septem, qui causam eorum agerent, eligitur: a parte Donatistarum

(1) Cf. Aug. Brev. Coll. 1 D. c. 2. Edictum Marcellini in Appendice l. c. p. 34-35.

(2) August. Brev. Coll. D. 1 c. 3. Edictum in Appendice l. c. p. 35-36.

(3) Est inter epistolas August. 128. Reperitur etiam in August. libro de gestis cum Emerito § 5.

praeter alios PRIMIANUS *Carthaginiensis*, PETILIANUS *Constantiniensis* et EMERITUS *Caesariensis*.

Collatio initium capit die 1° Junii anni 411. Dies autem primus ac secundus consumebantur legendis edictis litterisque, atque objectionibus, quas faciebant Donatistae, audiendis et refutandis.

Sedem hi capere noluerunt, inter alia dicentes, scriptum sibi esse (1) cum talibus non sedere (2). Ad hoc non responderunt Catholici, ne mora fieret. Nec etiam *fratres* a Catholicis appellari voluerunt. Alia praeterea egisse videntur Donatistae, ut impedirent, quominus procederet collatio. Mandatum ediderunt Catholici, quo omnis causa comprehenditur (3). Die secundo Donatistae dilationem petierunt, ut sibi res gestae conscriptae ederentur. Hoc etiam concessit Cognitor. — Sessione tandem tertia ad ipsam, de qua ageretur, rem perventum est, agitata prius quaestione, quam moverunt Donatistae: quaenam pars collationem petiisset.

Augustinus disputationem eo convertere studuit, ut definiretur: ubinam sit Ecclesia? Episcopi Donatistarum tunc legendum jusserunt scriptum suum; in quo ex S. Scriptura probare sibi visi sunt, Ecclesiam non amplius esse veram, si moribus doctorum ejus publice contaminatur (4).

---

(1) Psalm. XXVI. 4.
(2) August. Brev. Coll. d. II. c. 1.
(3) Append. p. 37 seqq. l. c.
(4) Append. p. 44 seqq. l. c.

Augustinus fuse ad haec respondit, at saepius interrupta ejus oratione. Testimoniis Scripturae Sacrae demonstrare conatus est: bonos et malos in Ecclesia commixtos esse; atque propterea in ea ferri debere malos, quippe quorum peccatorum non sint participes boni. Donatistae concedere coacti sunt, alteram rem alteri nocere non posse, nec cuiquam alîus agendi rationem. — Hoc perpetuo in mentem iis revocavit Augustinus (1).

Haec vero res postquam satis fuse agitata fuit, ad alteram quaestionem accedere jussit judex: *de origine schismatis Donatistarum*, sive *utrum Felix*, *Caeciliani ordinator*, *traditor fuerit*, *necne?* Hanc tamen quaestionem soli Christo judici relinquere maluerunt Donatistae. Contra vero Catholici. Causae enim suae nocere non posse putabant, si probaretur, Caecilianum aut Felicem crimini obnoxium fuisse; non enim fuisse necesse, ut schisma propterea exoriretur (2).

Ab utraque quidem parte provocatum est ad concilia et edicta, at vero inde nihil aliud consecutum est, nisi quod innocentia Felicis et Caeciliani conspicua reddita sit. Utraque tandem parte audita, judicium tulit Marcellinus: Donatistas satis a Catholicis refutatos esse. Acta in publicam edidit lucem (3).

---

(1) Append. p. 46 seqq. Gesta Coll. Carthag. in DUPINII edit. OPTATI D. III c. 261 seqq.
(2) August. Brev. Coll. d. III § 21.
(3) Gesta illa, a Baluzio optime edita, exstant etiam in *Monum. veter. ad Histor. Donat. pert.* OPTATI operis editioni a DUPINIO additis p. 225. Sententia Cognitoris etiam exstat in Append. laud. p. 48.

Haec in compendiculum redegit Augustinus opere, cujus titulus: BREVICULUS COLLATIONIS CUM DONATISTIS. Illud se scripsisse dicit, ut »quisque commonitus, vel sciat sine labore quid actum sit, vel consultis numeris, quos rebus singulis annotavi, legat in eisdem gestis ad locum quodcumque voluerit: quoniam fatigant illa sua nimia prolixitate lectorem" (1).

Actis collationis subscripserunt quidem Donatistae, at vero jus sibi servarunt ad Imperatorem provocandi. Videntur etiam provocasse. Augustinus certe memorat scriptum eorum, quo forsitan appellatio comprehendebatur. Certe in eo exponebant, quae ante de necessitate separationis bonorum a malis dixerant, Marcellinum factionis studii accusabant, querebanturque se non omnia, quae vellent, dicere potuisse, ac judicium media nocte latum esse (2).

Huic autem scripto suum opposuit opus Augustinus inscriptum: AD DONATISTAS POST COLLATIONEM. In eo quae jam saepius dixerat, repetit eaque mentibus laicorum Donatistarum inculcare studet, quos simul hortatur, ne se diutius ab Episcopis suis decipi patiantur. Severiorem erga eos agendi rationem defendit.

Iudicium interim Marcellini, invitis Donatistis, ab Imperatore probatum est, annoque 413 nova lex contra eos lata, ex qua omnes Donatistae, qui ad Ecclesiam Catholicam accedere nollent, gravi muclta punirentur (3).

---

(1) August. Retract. Lib. II c. 39.
(2) August. ad Donat. p. Collat. § 16 § 20, 26 seqq.
(3) Append. l. c. p. 48 sqq.

Multi, hac lege perterriti, ad Catholicos transeunt; plerique tamen in parte sua manent. Pars fugam petit, alii se abscondunt. Nonnulli etiam violentas sibi manus inferunt.

Augustinus, monente Synodo Zirthensi, Catholicos scripto defendit contra criminationem, Marcellinum ab iis ad illam agendi rationem esse incitatum. Etiam hac opportunitate Augustinus a Marcellino et Proconsule Africae petiit, ne mortis poena infligeretur Donatistis; non enim consentaneum illud esse Christianorum lenitati, nec meliores reddere schismaticos (1).

Marcellino interim, jussu ducis Marini, occiso non cessavit persecutio, ut sperabant Donatistae, omnia, quibus premebantur mala, ei tribuentes; nova enim ac severior lex anno 414 lata est, quam anno 415 alia insecuta est, qua Donatistis, sub poena exilii vel etiam mortis, conventus celebrare interdicebatur (2).

§ 7.

Ab hoc inde tempore ex historia evanescunt Donatistae. Alia et quidem majora mentes hominum occupare coeperunt, maxime vero mentem Augustini. Is totus nunc versabatur in debellandis Pelagianis. Data tamen occasione quaedam etiamnunc scripsit Donatistas spectantia.

Bonifacius, in Africa tribunus, postea comes, tali

(1) Cf. POSSIDIUS l. c. c. 13, August. c. Gaud. Lib. I § 33 Epist. 133, 134 139. Cf. et SCHROECKH Op. l. T. XI p. 26 et seq.
(2) Append. l. c. p. 49.

scripto componendo ei ansam dedit. Ille enim litteras dedit ad Augustinum, quaerens discrimen Donatistas inter et Arianos. Hisce autem tam longa respondit Epistola, ut librum eum appellaverit. Inscriptus est: DE CORRECTIONE DONATISTARUM (1). Defendit necessitatem et utilitatem persecutionum contra Donatistas.

Anno etiam 418 per Mauritaniam iter faciente Augustino, Caesareae ei obviam venit Emeritus Episcopus, unus ex septem Episcopis Donatistarum, qui verba in collatione Carthaginiensi fecerant et ad quem epistolam post collationem scripserat Augustinus, quae tamen periit (2).

Hunc virum in aedes sacras Donatistarum duxit Augustinus, ubi sermonem habuit, quo ei, ut cum Ecclesia Catholica in gratiam rediret, frustra persuadere conatus est. Recusavit colloquium ab Augustino ei propositum, nec aliud respondit, nisi se vi cedere debuisse in collatione Carthaginiensi. Objecit ei Augustinus ea, quae a Donatistis pati debuerant Episcopi Catholicorum, nec oblitus est schismatis Maximianistarum. Haec memoriae tradidit Augustinus scripto, cujus titulus: DE GESTIS CUM EMERITO, in quo iterum Emeritum ceterosque Donatistas ad reconciliationem hortatur (3).

Ultimum opus, quod scripsit, sunt LIBRI II CONTRA GAUDENTIUM. Hic enim Donatistarum Episcopus Thamugadensis, scriptis ad Dulcitium Praetorem duabus

(1) Ep. 185. Cf. Retract. Lib. II c. 48.

(2) August. Retract. Lib. II c. 46.

(3) Sermo exstat in Operibus August. c. Donatistas T. IX p. 419 seq. edit. Bened.

Epistolis, ei minatus est, se cum sociis suis, insistente persecutione, in Ecclesia flammis daturum esse. Hoc enim facere malebat, quam vel cum Ecclesia Catholica in gratiam redire, vel se in fugam dare. Has epistolas ad Augustinum misit Dulcitius, ut eas refelleret. Id fecit libro I°. Cum vero Gaudentius aliquid rescripsisset, IIum librum addidit. Scripti sunt libri anno 420 (1).

Haec de iis, quae Augustinus, adversarius Donatistarum, egit. Agendum nunc erit de *ipso Augustinum inter et Donatistas agitatae controversiae argumento.*

(1) Cf. August. Retract. Lib. II c. 59.

PARS ALTERA.

CONTROVERSIAE,

AUGUSTINUM INTER ET DONATISTAS AGITATAE,

ARGUMENTUM.

Triplici de re Controversia agitata est. Omnium maxime quaesitum est de *verae Ecclesiae nota Characteristica*. Inde controversia orta est de *baptismi, extra veram Ecclesiam administrati, usu et efficacia*. Denique de eo, *num vi uti liceat in rebus sacris*, Catholicorum in Donatistas agendi ratio sponte ansam dedit, ut disputaretur.

Haec tria controversiae capita singulatim nobis erunt tractanda. In iis exponendis ita versabimur, ut, *definitâ re controversa*, primum *Donatistarum sententiam* exponamus; dein in *Augustini refutandi argumentandique rationem inquiramus*. Singulis autem controversiae capitibus expositis, *nostrum de controversia agitata qualecunque judicium* in medium proferemus, ac *quamnam vim et efficacitatem in rem Christianam habuerit*, explorabimus.

CAPUT I.

CONTROVERSIA

DE

VERAE ECCLESIAE NOTA CHARACTERISTICA.

§ I.

Definitur controversiae argumentum.

Duobus in Ecclesia Carthaginiensi Episcopis, Caeciliano et Marcellino, simul electis, primum omnium disputatum est, *utrius electio legitima esset censenda.* Partibus inter se non convenit. Hinc Ecclesia Africana in duas scissa est partes, in nullo fidei articulo discrepantes. Utraque perhibebat, apud se veram esse Christi Ecclesiam. Ansam sponte id dedit, ut, re in universum spectatâ, quaereretur: *ubi sit vera illa Ecclesia?* Fundamenti enim instar ponebant sententiam, quae, Irenaeo, Tertulliano et inprimis Cypriano auctoribus, per omnem fere Occidentem et praesertim in Africa invaluerat, unam tantummodo veram esse Ecclesiam, extra cujus communionem salus nulla datur (1). At vero ut

(1) De formato et exculto dogmate de Ecclesiae unitate conf. Cl. H. C. KIST *de Christel. Kerk op Aarde*, p. 199 sqq. 2ᵃᵉ. edit.

solvi posset quaestio, ubi sit una illa Ecclesia, necesse erat, ut definiretur, *in qua re sita sit nota diacritica*, qua ab aliis coetibus, idem sibi nomen arrogantibus, distinguatur.

Hac de re valde a se invicem discreparunt Donatistae et Catholici, atque illos inter et Augustinum controversia agitata est.

§ 2.

Donatistarum Sententia.

Ex opinione Donatistarum praecipuum Ecclesiae characterem constituit *Sanctitas*, ex qua una vera Christi Ecclesia dignoscatur. Illa enim constat *Sanctis* i. e. iis, qui peccatis manifestis sunt immunes. Si vero solis sanctis non constat, *Sancta* dici non potest; nam per peccatores, qui in Ecclesiae communione tolerantur, tota maculatur societas, atque sanctitatis virtutem amittit. Hac autem amissâ, deëst ei nota verae Ecclesiae diacritica, atque adeo vera Ecclesia esse non potest. Ad manifestos vero peccatores referendos esse traditores existimabant (1).

Hinc perhibebant, societatem Catholicorum non esse veram Ecclesiam: ibi enim communionem coli cum Caeciliano, Episcopo a Felice traditore inaugurato. Hanc vero ob causam in omnibus coetibus, qui communio-

(1) Conf. August. c. ep. Parmen. Lib. I § 4, Lib. II § 11 seqq. Lib. III § 1, Libris adv. Petilianum, cet.

nem cum eo colerent, periisse veram Christi Ecclesiam. — Partem contra Donati, in qua nulla communio cum peccatoribus vel traditoribus habebatur, quaeque propterea se a ceteris Christianis separaverat, ut pura et immaculata societas maneret, *sanctitate* gloriari posse. Cum haec igitur sanctitatis virtus soli societati Donatistarum propria sit, veram Christi Ecclesiam in omni terrarum orbe periisse, et in sola Donati parte superesse (1).

Sanctitatem autem necessario ad indolem verae Ecclesiae pertinere, inde probare student, quod dicant: »*Ecclesiam Domini in Scripturis Divinis sanctam et immaculatam fore ubique nuntiatam.*" Eo consilio innumera fere testimonia tam ex Veteri, quam ex Novo Foedere afferunt, v. c. Jes. XXXV. LII. 1. LXII. 13, 14. Cant. Cantt. IV. 7. Eph. V. 25—27. 2 Cor. XI. 2. etc. (2). Ad illa etiam loca provocant, quibus doceri dicebant, Christianis incumbere a malis se segregare et peccatores Ecclesiâ ejicere. v. c. Ps. I. 1. Ecles. XXIII. 28. Eph. V. 11. 1 Cor. V. 6, 11, 13. 2 Cor. VI. 14, cet.

Ut hanc autem argumentandi rationem corroborarent, alia etiam argumenta addiderunt.

Primum locum occupat argumentum *e persecutionibus* petitum. Illam Ecclesiam veram esse dicebant, *quae persecutionem patitur, non quae facit* (3). Perse-

---

(1) Conf. August. de unit. Eccl. § 33.
(2) Conff. Litterae Donatistarum ad Marcellinum in Appendice T. IX Opp. August. p. 44 seqq.
(3) Gest. Collat. d. III c. 22. l. c.

cutionem enim pati Christi nomen profitentibus proprium dicitur in litteris Sacris: persecutionem vero facere adversatur religionis Christianae indoli (1).

Jactabant etiam magnum inter se martyrum numerum (2).

Paucitatem etiam sociorum suae communionis, numero ceterorum Christianorum comparato, e literarum sacrarum mente verae ecclesiae notam diacriticam existimandam esse asseverabant (3). Alia etiam habebant argumenta. Ea vero raro occurrunt, et exigui sunt pretii. Ut unum afferam, ex Cant. Cant. c. I: 7, ubi sponsa, i. e. Ecclesia, ad sponsum dicit: *annuncia mihi quem dilexit anima mea, ubi pascis, ubi cubas in meridie;* probare volebant, Ecclesiam Christi in Africa quaerendam esse (4).

§ 3.

Augustini refutandi argumentandique ratio.

Duplicem Augustinus iniit viam, ut refutaret Donatistas, *historicam* alteram, alteram *dogmaticam.* — Utramque bene a se invicem distinxit: vel, concessa Donatistarum hypothesi, negabat ejus applicationem; vel refutabat ipsam hypothesin. Illa argumentatio a

(1) August. ad Donat. p. Collat § 20, c. litt. Petil. Lib. II § 3 p. 35.
(2) August. c. ep. Parmen. Lib. III § 29 al.
(3) August. de unit. Eccl. § 33.
(4) August. de unit. Eccl. § 40.

posteriori, haec a *priori* commode dici potest. Ab illa exponenda initium facimus.

In temporis momentum concedebat Augustinus, recte sese habere hypothesin Donatistarum, falso vero ad Catholicos applicari, perhibebat. Donatistae enim dicebant: Caecilianum a traditore fuisse ordinatum, atque per eum omnes, qui in communione cum eo perseveraverunt, contaminatos esse. Hoc negat Augustinus atque probare studet, Caeciliani ordinatorem traditionis labe non infectum fuisse. Varia judicia jam instituta erant de causa Felicis, quae simul causa erat Caeciliani, atque in iis omnibus ille criminatione fuerat liberatus. Ad illa provocabat Augustinus, atque inde innocentiam Caeciliani probare operam dabat. Nec occasionem praetermisit ostendendi, atque omnibus veri studiosis in luce ponendi, judicia illa fide et approbatione digna esse (1).

Maxime semper in illud intentus erat Augustinus, ut ostenderet, causam Caeciliani a causa Ecclesiae distinguendam esse, argumento ex eo ducto, quod illa, si mala sit, non noceat Ecclesiae toto orbe terrarum diffusae (2).

Alia etiam ratione a posteriori argumentatus est Augustinus. Hac nimirum: si societas Christiana per communicationem cum malis desinit esse vera Christi Ecclesia, pars Donati ea esse non potest, quippe quae in

(1) Conf. Brev. Collat. d. I c. 7. Epist. 129. Brev. Collat d. III § 24 seqq. c. Crescon. Lib. III § 78 etc.
(2) Conf. ne plura loca citem, Brev. Collat. d. III.

communione sua servat peccatores et circumcelliones. »Ostendant isti, ait, quomodo eorum contagione non perierint, quos sacrilegos incestatores consecratae pudicitiae foeminarum inter se latere vel latuisse, vel modo nesciunt, vel aliquando nesciverunt" (1).

Donatistis insuper objicit schismata inter eos orta, inprimis Maximianistarum. Horum enim causam similem esse causae Donatistarum cum Catholicis perhibebat, quam tamen major Donatistarum pars damnabat (2)

Haec de hac ejus *a posteriori* argumentandi ratione dicta sufficiant. Diutius morabimur in exponenda *argumentatione a priori*, sive *dogmatica*, qua nimirum ipsam adoritur Donatistarum hypothesin. Hanc enim illi praetulisse videtur Augustinus.

Ex hypothesi Donatistarum perfecta omnium Ecclesiae sociorum sanctitas necessaria maxime nota verae Ecclesiae erat censenda. Eam ut falsam esse probaret Augustinus, ostendere instituit: *talem, qualem sibi Ecclesiam Christi proponebant Donatistae, non describi in litteris sacris;* dein exponit: *qualis Ecclesia ex earum institutione sit;* vel ut accuratius dicam; probare conatur: *perfectam sanctitatem secundum litteras sacras notam diacriticam verae Ecclesiae non esse;* verum *Catholicismum* i. e. *ejus per omnem terrarum orbem propagationem*.

(1) De unit. Eccles. § 3.
(2) Brev. Collat. d. I c. 7 et 10. d. III § 18. et innumeris fere aliis locis.

Illud autem defendens Augustinus, provocabat ad loca, quibus Ecclesia ut bonis et malis inter se mixtis constans proponitur. Talia vero ex utroque Foedere petit. Nec quis miretur etiam Canticum Canticorum ei testimonium suppeditare. «Est in Canticis canticorum" inquit, »quod de sancta Ecclesia dictum omnis Christianus agnoscit: *sicut lilium in medio spinarum, ita proxima mea in medio filiarum.*" (II. 2.). Et quaerit: »unde appellat spinas, nisi propter malignitatem morum? Et easdem unde filias, nisi propter communionem sacramentorum?" Idem ex Ezechielis loco conficit, ubi de signatis quibusdam Prophetae dicitur: *qui gemunt et moerent peccata et iniquitates populi mei, quae fiunt in medio eorum.* (IX. 4): atque ex eo sic argumentatur: »Populum suum non diceret, quem solis illis illaesis perire mox jubet, nisi eum populum, qui ejus sacramenta gestabat."

Maxime vero ad ipsius Jesu effata provocat, eaque repetit e duabus Jesu parabolis; altera de *zizaniis in agro*, altera de *sagena omnis generis piscibus repleta* (Matt. XIII). Iis enim apertissime docuisse Jesum contendebat, malos et bonos in Ecclesia sua permixtos esse atque ita ad supremum usque judicium permansuros (1); atque hoc conspirare dicit cum Prophetarum doctrina. Illi enim utrumque hominum genus permixtum esse dicunt per totum mundum, id est, per totum agrum Domini (2).

---

(1) De unit. Eccl. § 35.
(2) C. litt.. Petil. Lib. II § 108.

Ad *exempla* etiam provocabat Augustinus, et quidem cum *Prophetarum, qui communicarunt cum iis, in quos magna mala dixerunt* (1), tum ipsius *Servatoris*, quippe qui Judam traditorem, cum ab initio jam malus esset, inter bonos retinuit (2).

Donatistis vero objicientibus, omnia illa intelligenda esse de *malis occultis*, non vero de *manifestis;* in Ecclesia enim non esse posse manifesta zizania (3), respondebat: Jesum in similitudine retis *occultos* malos significare voluisse »quos ita nesciunt sacerdotes, quemadmodum sub fluctibus quid ceperint retia, nesciunt piscatores." At propterea Ecclesiam areae comparasse, »ut etiam manifesti mali bonis in ea permixti praenunciarentur futuri. Neque enim palea, quae in area est permixta frumentis, etiam ipsa sub fluctibus latet, quae sic omnium oculis est conspicua, ut potius occulta sint in ea frumenta, cum sit ipsa manifesta (4)."

Aliud etiam objiciebant Donatistae: locis nimirum a Catholicis allatis non sermonem esse de commixtione bonorum ac malorum in *Ecclesia*, sed in *Mundo:* agro enim et reti non *Ecclesiam*, sed *mundum* intelligendum esse. Provocabant ad ipsam, quam Jesus discipulis dedit, parabolae explicationem, in quâ *agrum* per *mundum* interpretatus est.

Augustinus vero *mundum* ipsum appellatum esse pro *ecclesiae* nomine perhibebat; et quidem eam ob cau-

---

(1) Brev. Collat. d. III § 17.
(2) De unit. Eccl. § 35.
(3) C. Gaud. Lib. II § 4. Brev. Coll. d. III § 15.
(4) Ad Donatist. post Collat. § 13 et 14.

sam, quia per totum mundum futura praefigurabatur Ecclesia. Inde quaestio orta est de *usu vocis mundi* in litteris sacris. Donatistarum Episcopus Emeritus loca ex scriptis Joanneis conferebat, quibus *mundus* opponitur *regno Dei*, atque inde efficiebat, mundum semper in mala significatione positum esse, nec propterea usurpari potuisse de Ecclesia. Augustinus sua vice, exemplis allatis, probare studebat, vocabulum illud nunc malo, nunc bono sensu usurpari; atque hoc si bene teneatur, nullam hac in re repugnantiam inesse litteris sacris (1). Provocabat insuper ad auctoritatem Cypriani, quam maximam habebant Donatistae (2).

At vero Donatistae, ut manifestos certe malos ex Ecclesia ejiciendos esse probarent, provocabant ad omnia inprimis Veteris Foederis loca, ubi de externa populi Dei munditia agitur. Congerebant praeterea ea, quibus communionem cum malis habere vetatur, quam de externa communione interpretabantur.

Hanc igitur sententiam refellere conatus est Augustinus docendo: omnia, quae afferebant, loca non de *externa* communione, sed de *interna*, non de *corporali*, sed de *spirituali* separatione accipienda esse. Quod enim attinet Pauli Apostoli monitum (I Cor. V. 13) *auferte malum ex vobis ipsis*, observare jubet, Apostolum non dixisse *e congregatione vestra*, *sed ex vobis ipsis*. Eo nimirum *cordis* separationem intellectam

(1) Brevic. Collat. d. III. § 15. Ad Donat. p. Collat § 9.
(2) C. Gaud. Lib. II § 4, ad Donat. Coll. § 9 c. Crescon. Lib. II § 46 et 47.

eum voluisse dicit Augustinus. Lectores monere vult Apostolus, ut »auferendo malum ex se ipsis, i. e. non cum malis peccando, nec iis ad peccandum consentiendo aut favendo, integerrimi inter eos et incorruptissimi versarentur" (1).

Sic cetera, quae afferebantur, loca accipienda esse docet, v. c. 2 Cor. VI. 14. »*nolite jugum ducere cum infidelibus*" (2) et similia, quorum interpretatio non raro longe quaesita est (3). Non de *corporali* separatione, sed de *spirituali* (4). Spiritualem separationem etiam intellexisse Paulum Apostolum, jubentem: *ne communicet* (Timotheus) *peccatis alienis:* nimirum *consensu* et *placito* (5).

Hac vero Sacrae Scripturae locorum interpretatione fretus, statuit Augustinus: manifestos etiam peccatores in Ecclesia tolerandos esse. Nullum enim praeceptum de corporali ab iis separatione occurrere, nec etiam *obesse bonis in una communione malos* (6). Hoc vero ut probet, affert dictum Jesu ad Apostolos: *jam vos mundi estis, sed non omnes:* quo indicare Jesum voluisse dicit, »in uno coetu hominum, eadem sacramenta sumentium, aliquorum immunditiam mundis obesse non posse". Illum enim, praesente Juda traditore, dixisse: *jam vos mundi estis;* addidisse vero propter

(1) C. Epist. Parmen. Lib. III § 2.
(2) Ad Donat. p. Coll. § 33 seqq.
(3) Cf. c. Epist. Parmen. Lib. III § 2 seqq.
(4) Ad Donat. p. Collat. § 7. § 26 seqq.
(5) C. litt. Pet. Lib. II § 243.
(6) C. Epist. Parmen. Lib. II § 4, § 10, ad Donat. p. Collat. § 6, 7 et 9.

Judam, *non omnes*. Si autem praesentiâ suâ ceteros polluisset Judas, non dicturum fuisse: *jam vos mundi estis*, sed *nondum mundi estis* (1).

Ad exemplum etiam provocabat hominum tempore Ezechielis viventium, qui gemebant et moerebant facinora populi, quae fiebant in medio eorum. »Illi vero", inquit Augustinus, »quoniam eos corrigere non poterant, nec ab unitate populi Dei ullo modo separare debebant, pro merito innocentissimae tolerantiae suae signari meruerunt et in illorum perditorum vastatione atque interitu liberari" (2). Hinc solenne ei erat: »Nec causa causae, nec persona personae praejudicat" (3). Non enim obsunt aliorum saluti aliena peccata (4). Non obest justis, quidquid in ipsos populos propter impiorum multitudinem dicitur (5), cum non communicet peccatis alienis, qui eis non consentit (6). Nec malos qui tolerant, communicant eorum peccatis. Hoc probat exemplo Pauli Apostoli, qui non falsorum fratrum peccatis, quamvis in unitate corporali cum iis erat, communicavit, et Apostolorum, qui non furto atque sceleri Judae communicarunt (7). Unusquisque malitiae suae sarcinam portat, nec eam cum iis aliquis communicat, nisi cui eorum iniquitas placet (8).

---

(1) C. litt. Petil. Lib. II § 49 et 50.
(2) C. Epist. Parmen. Lib. II. § 6.
(3) Ad Donat. p. Coll. § 3 seqq. § 24.
(4) C. litt. Petil. Lib. II § 122.
(5) De unit. Eccl. § 34.
(6) C. Crescon. Lib. IV § 33.
(7) C. litt. Petil. Lib. II § 243.
(8) C. litt. Petil. Lib. III § 42.

Malos autem a bonis in communione sua tolerandos duplicem ob causam dicit Augustinus: *ne ante tempus, cum zizania colliguntur, eradicetur simul et triticum:* atque *propter unitatis et pacis studium.* »Apud nos", inquit, »quicumque mali vel penitus latent, vel quibusdam noti propter bonos, quibus ignoti sunt et apud quos convinci non possunt, propter unitatis et pacis vinculum tolerantur, ne cum zizaniis eradicetur simul et triticum" (1). Et alibi (2): se et Catholicos Domino Christo, Prophetis, Apostolis sanctoque Cypriano de eo consentire dicit: »etiam cognitos malos, si eos nec corrigere possumus, nec punire pro unitatis vinculo sustinendos. Hinc canit in Psalmo: »sed nobis exemplum datum est malos fratres tolerare, ut quando non possunt excludi, solo separentur corde" (3). Et rursus: »Expello malos, quos possum, quos non possum, cogor ferre. Fero illos donec separentur in fine" (4).

Ne vero Donatistae existimarent, se omnem rejicere Ecclesiae disciplinam, exponit suam de disciplina Ecclesiastica sententiam. Dicit enim, etsi a populo Dei non separentur mali, erga eos tamen non dormire Ecclesiasticam disciplinam (5). »Malorum tolerantia correptiones Ecclesiasticae disciplinae non excludit" (6).

---

(1) C. litt. Petil. Lib. III § 42.
(2) C. Gaud. Lib. II § 5.
(3) Psalm. c. part. Don. Lit. Q.
(4) Ibid. lit. A. a.
(5) Ad Donat. p. Collat. § 28.
(6) Ibid. § 6.

Prudenter autem eam adhibendam esse docet, nec ratione a caritate Christiana aliena. Ita de ea monet: «Si quis Christianorum in Ecclesiae societate in aliquo tali peccato fuerit deprehensus, ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc ubi periculum schismatis nullum est, atque id cum ea dilectione, de qua Apostolus praecipit, dicens, »ut inimicum non eum existimetis, sed corripite ut fratrem:" non enim ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnoverit, nec paenitendo correxerit, ipse foras exiet, et per propriam voluntatem ab Ecclesiae communione dirimetur" (1). Nec semper disciplina Ecclesiastica exercenda est. »Cum idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis restat, quam dolor et gemitus, ut per illud signum, quod Ezechieli sancto revelatur, illaesi evadere ab illorum vastatione mereantur" (2). »Misericorditer corripiat homo, quod potest: quod autem non potest, patienter ferat, et dilectione gemat atque lugeat, donec aut ille de super emendet et corrigat, aut usque ad messem differat, eradicare zizania, et paleam ventilare: ut tamen securi de salute sua bonae spei Christiani inter desperatos, quos corripere non valent, in unitate versentur, auferant malum a se ipsis, id est, ut in ipsis non inveniatur, quod in moribus aliorum eis displicet" (3). Nusquam tamen disciplinam negligendam esse, cum sine pacis violandae periculo ea fieri possit,

(1) C. Epist. Parmen. Lib. III § 13. Cf. et Lib. II § 25.
(2) Ibid. Lib. III § 14.
(3) Ibid. Lib. III § 15.

semper memores, »ut sufferentes invicem studeamus servare unitatem spiritus in vinculo pacis" (1).

At vero Augustinus cum bonos ac malos in Ecclesia commixtos esse debere contenderet, atque negaret, perfectam omnium Ecclesiae sociorum sanctitatem notam ejus diacriticam esse, facile quis existimare potuisset, eum virtutem sanctitatis denegare Ecclesiae. Propterea mentem suam de ea exponit, qualisque sanctitas ei tribuenda sit, definit.

Ecclesiae tempora distinguenda esse monet et quidem duo (2). *Praesens* nempe et *futurum*, sicut ea nunc est mortalis, i. e. ex mortalibus hominibus constans, tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur. In ea, quae nunc est, Ecclesia, boni et mali commixti sunt; in ea, quae erit, non nisi sancti. Atque hoc si teneatur, intelligitur, quomodo in litteris sacris nunc malis ac bonis constare, nunc vero solis bonis dici possit. Ut vero ostendat, duo illa Ecclesiae tempora in litteris sacris indicari, argumentum ducit e duabus piscationibus, quarum ibi mentio fit, quasque ad minima usque explicat. Ipsa hic afferemus Augustini verba. »Haec duo", inquit, »tempora Ecclesiae, quae nunc est, et qualis tunc erit, significata est etiam duabus piscationibus: una ante resurrectionem Christi, quando mitti jussit retia, nec sinistram, nec dexteram nominans partem, ut nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum

---

(1) Ibid. Lib. III § 16. Conf. et Lib. II § 25.

(2) Brevic. Collat. d. III § 16. ad Donat. p. Collat. § 10 et 12.

sacramentorum futuros doceret: post resurrectionem autem quando jussit retia mitti in dexteram partem, ut post resurrectionem nostram bonos solos in Ecclesia futuros intelligeremus, ubi ulterius haereses et schismata non erunt, quibus modo retia disrumpuntur. Nam et Evangelium non tacuit in prima piscatione commemorare retia esse disrupta: et in novissima dictum est: *et cum tam magni essent pisces, retia non sunt disrupta.* De tali Ecclesia dictum esse, quod per illam non erat transiturus incircumcisus et immundus. Ad immundos enim pertinere schismaticas separationes, quae tunc non erunt, quia retia non sunt disrupta. Hoc etiam significasse, quod corvus, avis immunda, exierit de arca, et non redierit. Quae tamen arca, exeunte corvo, non utique omnibus immundis animalibus caruit, sed in ea fuerunt et munda, et immunda usque ad diluvium, sicut in Ecclesia boni et mali usque ad seculi finem. Sed sicut non de immundis, sed de mundis animalibus Noë obtulit sacrificium; ita non ii, qui mali sunt in Ecclesia, sed ii, qui boni sunt, perveniunt ad Deum" (1).

Non ita id tamen accipiendum est, quasi sint duae Ecclesiae, sed »eamdem ipsam unam et sanctam Ecclesiam nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram: nunc habere malos mixtos, tunc non habituram". Exemplis illustrat rem: »non ideo duo Christi, quia prior mortuus postea non moriturus". Homo exterior et interior, cum sint diversi, tamen non sunt duo homines (2). De

(1) Brev. Collat. d. III § 16.
(2) Ibid. § 20.

Ecclesia *futura* sermo est, si sine macula ac ruga dicatur (1). Ea ex solis sanctis, qui aedificati sunt super petram, perficitur (2). Quare *unica columba, innocens et simplex, pudica et casta, sponsa sine macula et ruga, hortus conclusus, fons signatus, paradisus cum fructu pomorum* appellatur. Ad illam vero sanctam Ecclesiam non pertinent mali (3). Illi enim intus esse videri possunt, sed foris sunt (4). »Non ideo (enim) putandi sunt esse in Christi corpore, quod est Ecclesia, quia sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt. Illa enim et in talibus sancta sunt, et eis indigne tractantibus ad majus judicium valebunt. Ipsi autem non sunt in illa Ecclesiae compage, quae in membris Christi per connexum et contactum crescit in incrementum Dei. Illa quippe Ecclesia in petra est; sicut Dominus dicit: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.* Illi autem in arena aedificant" (5). Supremo facto judicio ex solis sanctis constabit Ecclesia; tum enim boni a malis separabuntur (6).

Qua autem ratione boni ac mali ad Ecclesiam pertineant, ita exponit, ut dicat: in domo Dei alios ita esse, ut ipsi etiam sint eadem domus Dei, quae dicitur aedificari super petram, quae unica columba appellatur, sponsa pulchra, cet.; alios, ut non pertineant ad com-

---

(1) Retract. Lib. II c. 18.
(2) De bapt. Lib. VI § 66.
(3) Ibid. Lib. V § 24, § 38, Lib. VI § 5 seqq. Lib. IV § 16.
(4) C. Crescon. Lib. II § 26, de bapt. Lib. VI § 44.
(5) C. litt. Petil. Lib. II § 246.
(6) C. litt. Petil. Lib. III § 4, c. Epist. Parmen. Lib. II § 9.

pagem domus, nec ad societatem fructiferae pacificaeque justitiae, sed sicut palea esse dicitur in frumentis (1). Propterea distinxit *corpus verum* ac *permixtum*, sive *simulatum*, etsi damnet Tichonium dicentem, *bipartitum* esse Domini corpus. Ad illud pertinere dicebat *bonos*, ad hoc vero *bonos et malos* (2). Ecclesia igitur *sancta* appellari potest, si ratio habetur verorum ejus sociorum.

Atque sic sententiam suam exposuit Augustinus de sanctitate Ecclesiae plane diversam a Donatistarum sentiendi ratione. Rejecta vero notâ diagnostica, quam Donatistae in judicando de vera Ecclesia adhibendam esse urgebant, alia ut ejus loco substitueretur, necesse erat. Ab IRENAEI jam inde tempore usu invaluit nota tamquam diacritica: *consensus Ecclesiarum in variis terrae regionibus*, eamque jam OPTATUS (3), at paulo mutatam, contra Donatistas attulerat. Hunc

(1) Cff. de bapt. Lib. VII § 99, de unit. Eccl. § 68.
(2) De doctrina Christ. Lib. III c. 32.
(3) L. c. inprimis Lib. II c. 1. Sic argumentatus est: Una est tantummodo Ecclesia. Haec apud omnes haereticos et schismaticos esse non potest. Restat, ut uno loco sit. Potestne esse apud vos in particula Africae, in angulo parvae regionis? In Hispaniis, in Gallia, in Italia, innumerisque aliis provinciis, ubi vos non estis, non erit? Ubi ergo erit proprietas *Catholici* nominis, cum inde dicta Catholica, quod sit rationabilis et ubique diffusa? Ubi erit illud, quod Filius Dei meruit? Ubi erit quod libenter ei largitus est Pater, in secundo Psalmo: *dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae*? — Alia similia loca affert. Aufertis igitur, quaerit, meritum Christi, negatis praestitutum a Deo; mendacem videri vultis Spiritum Sanctum?

suo modo secutus est Augustinus, atque *Catholicismum*, id est, *universalem propagationem*, verae Ecclesiae notam esse, exponit ac defendit.

Hanc autem notam ex Sacro Codice se petiisse dicit. In solvenda enim quaestione, ubi sit Ecclesia? non nisi testimonia Sacri Codicis adhibenda esse contendebat: summam enim ei tribuendam esse auctoritatem, »extra quam," (inquit) »si sapere velimus, nescimus, ubi illa quaerenda sit." »Totus Christus caput et corpus est. Caput unigenitus Dei filius, et corpus ejus Ecclesia, sponsus et sponsa, duo in carne una." Jam vero, quia quaestio est cum Donatistis de corpore, »ipsum caput, de quo censentimus, ostendat nobis corpus suum, de quo dissentimus, ut per ejus verba jam dissentire desinamus." Nec vero solius Jesu effata adhibenda sunt, sed et Prophetarum et Apostolorum, per eos enim etiam verbum sonuit (1).

Loca magno numero ex omnibus, a primo usque ad ultimum, S. Codicis libris colligit, vel vaticinia continentia, quibus propagatio religionis Christianae per omnem terrarum orbem praenunciari contendebat, vel quibus Christi Apostoli jubentur, ubique Euangelium annunciare. Inter illa praeprimis recenset Gen. XXII. 18: quo loco Abrahamo promissum fit, in semine ejus omnes gentes benedictum iri. Semen enim Abra-

(1) De unit. Eccles. § 7. Cff. et §§ 47 et 50. Contrariam prorsus viam, contra Manichaeos pugnans, iniit. Tum nimirum auctoritatem scripturae sacrae subjecit auctoritati Ecclesiae. »Ego vero", ait, *c. Epist. Manichaei* § 6, »Euangelio non crederem, nisi me Catholicae Ecclesiae commoveret auctoritas". Cf. NEANDER Op. l. T. II p. 1 p. 438.

hae non explicari posse de populo ex carne Abrahae nato; nam huic interpretationi Pauli adversari auctoritatem (Gal. III. 16), non nisi de Christo accipi debere docentis. In Christo igitur benedictum iri gentibus. Alia quam plurima loca ex Psalmis et Prophetis attulit, ut probaret, Ecclesiam Christi, toto terrarum orbe diffundendam, divina et veridica voce promissam fuisse. (Ps. II. 8. LXXII. 8. L. 1. Jes. XI. 9. LIV. 1–5. LII. 10. XLIX. 17. Jerem. XVI. 19. Mal. I. 11. cet.). Haec per ora Prophetarum locutum esse Jesum, post resurrectionem vero per os proprium sic promisisse Ecclesiam, dicentem: *in nomine suo praedicari poenitentiam et remissionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Jerusalem* (Luc. XXIV. 47): et in coelum adscendentem: *eritis mihi testes in Jerusalem et in totam Judaeam et Samariam et usque in totam terram* (Act. I. 8). Hujus autem divini magistri auctoritatem secutos Apostolos, Ecclesiam commendare *in toto mundo fructificantem atque crescentem* (1). »Evangelizata est nobis," inquit, »Ecclesia per totum orbem terrarum futura. Hoc in Lege, et Prophetis, et Psalmis esse praenuntiatum ipse Dominus testificatus est, qui eam coepturam ab Jerusalem et per omnes gentes permanaturam esse praedixit, testes sibi futuros in Jerusalem, et in tota Judaea, et Samaria, et usque in totam terram, praenunciavit. Haec verba facta secuta sunt. Quo-

(1) De unit. Eccl. § 11 seqq., c. Crescon. Lib. IV § 65, 69 et 70. Mandatum Catholicorum ad Marcellinum in Append. Opp. August. T. IX p. 37 seqq.

modo coeptum sit ab Jerusalem, et deinde processum in Judaeam et Samariam, et inde in totam terram, ubi adhuc crescit Ecclesia, donec usque in finem etiam reliquas gentes, ubi adhuc non est, obtineat, scripturis sanctis testibus consequenter ostenditur: quisquis aliud evangelizaverit, anathema sit" (1). Ecclesiam per omnes gentes futuram etiam portendisse dicit donum linguarum, die Pentecostali Apostolis impertitum (2).

Haec cum ita sint, veram Ecclesiam non nisi eam esse, quae ubique est diffusa, hoc est, *Catholicam* (3). Propterea majores Ecclesiam nominarunt *Catholicam*, »ut ex ipso nomine ostenderent, quia per totum est. Secundum totum enim, *καθ' ὅλον* Graece dicitur" (4). Ut autem particularis Ecclesia ad illam universalem ac solam veram pertinere censeri possit, necesse est, ut communicet cum Ecclesiis ubique terrarum dispersis.

---

(1) De unit. Eccl. § 32.
(2) C. Crescon. Lib. II § 17.
(3) Aliter Donatistae *Ecclesiam Catholicam* intelligebant, eoque nomine suam etiam partem insigniebant. »Donatistae respondent, non Catholicum nomen ex *universitate gentium*, sed ex *plenitudine sacramentorum* institutum". August. Brev. Coll. D. III § 3. Augustinus (Ep. 93 § 23) objicit Vincentio Donatistae: »Catholicae nomen non ex *totius orbis communicatione* interpretaris, sed ex *observatione praeceptorum omnium divinorum atque omnium sacramentorum*. Nec sibi constiterunt Catholici in definiendo Catholicismo. Optatus l. c. Lib. I c. 2, dicit: *catholicam facit simplex et verus intellectus in lege: singulare ac verissimum sacramentum et unitas animorum*: Lib. vero II. c. 1. *Ecclesia Catholica est rationabilis et ubique diffusa.* Notionem *universalis propagationis* ubique tenet Augustinus.
(4) De unit. Eccl. § 2. Cf. c. litt. Pet. Lib.. II § 91.

Communio igitur cum illis Ecclesiis nota est in judicando de vera Ecclesia.

Hinc vero patet, partem Donati non esse veram Ecclesiam. Illa enim, in angulo terrae abscondita, non communicat cum Ecclesia Catholica, quae neminem latet. Similis enim est civitati supra montem constitutae, quae abscondi non potest (1). »Date mihi", dicit Augustinus ad Donatistas, »hanc Ecclesiam (Catholicam), si apud vos est: ostendite vos communicare omnibus gentibus, quas jam videmus in hoc semine benedici" (2). Hoc vero de sua parte valere, probare studuit Augustinus (3).

Insuper aliam notam addidit *communicationem cum Ecclesiis Apostolico labore fundatis*, quibuscum Donatistas non communicare apertum esse dicit (4). Pars vero ea in Africa, quae Catholica dicitur, communicat praeprimis cum Ecclesia Romana, in qua series Episcoporum ad Petrum Apostolum adscendit; cui, totius Ecclesiae figuram gerenti, Dominus ait: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferorum non vincent eam* (5). Contra Manichaeos dispu-

(1) C. litt. Petil. Lib. II. § 74.
(2) De unit. Eccl. § 14. Cf. et § 7. »Quicumque" ait, »a Jesu corpore, quod est Ecclesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non sit cum toto quacumque diffunditur, sed in aliqua parte separata inveniatur; manifestum est, eos non esse in Catholica Ecclesia." Vid. et c. litt. Petil. Lib. II § 239.
(3) Brev. Collat. d. III § 3.
(4) Ibid. d. III § 10.
(5) Ep. 53 § 2 Opp. August. T. II p. 91. Eodem argumento jam usus est OPTATUS l. c. Lib. II c. 2 et 3.

tans (1), iisdem etiam argumentis usus est. »Tenet", inquit, »consensio populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata; spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem Episcopatum successio sacerdotum: tenet postremo ipsum Catholicae nomen, quod non sine causa inter tam multas haereses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cum omnes haeretici se Catholicos dici velint, quaerenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus haereticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere."

Atque sic probare sibi visus est Augustinus, Catholicorum, cui nomen dederat, societatem veram esse Christi Ecclesiam.

Cum vero extra unam veram Ecclesiam nullam dari salutem una cum Donatistis statuerat, sponte inde rationem concludebat Augustinus: extra communionem cum Ecclesia Catholica et Apostolica neminem salutis participem fieri, adeoque hac exclusos esse Donatistas, in Ecclesiam non redeuntes.

Ecclesia Catholica, ait, est corpus Christi, sicut Apostolus dicit (Coloss. I. 24): *Pro corpore ejus, quae est Ecclesia.* Hinc autem manifestum esse dicit, »eum qui non est in membris Christi, Christianam salutem habere non posse" (2). »Ad ipsam salutem ac vitam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere

(1) C. Ep. fundamenti Manichaei c. 2.
(2) De unit. Eccl. § 2.

autem caput Christum nemo poterit, nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia" (1). In Ecclesia vero non sunt »quicunque de ipso capite scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiae non communicant, quia de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentiunt" (2).

Exinde nunc dicere potuit: »Quisquis ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habebit vitam; sed ira Dei manebit super eum" (3). Spiritus enim Sanctus ac caritas, summa omnium virtus, extra Ecclesiae unitatem non sunt (4). Utrumque in sola unitate custoditur (5). Omnia etiam opera nihili sunt, nisi fiant per vinculum Christianae societatis et pacis Ecclesiae (6). Quapropter securi sunt Catholici, qui Deum Patrem, Ecclesiam matrem habent (7).

(1) Ibid. § 49.
(2) Ibid. § 7.
(3) Ep. 141 Opp. August. T. II p. 347.
(4) De bapt. Lib. III. § 21. c. litt. Petil. Lib. II § 126.
(5) C. litt. Petil. Lib. II § 172.
(6) De bapt. Lib. I § 10.
(7) C. litt. Petil. Lib. III § 10.

CAPUT II.

CONTROVERSIA

DE

BAPTISMI, EXTRA VERAM ECCLESIAM ADMINISTRATI, USU ET EFFICACITATE.

§ 1.

Definitur Controversiae argumentum.

Arctissime cum controversia de Ecclesiae nota characteristica agitata cohaeret controversia *de baptismo*. Haec enim ex illa quasi nata est. Donatistae scilicet suam societatem solam veram Ecclesiam habentes, omnes extra eam Clericos illegitimos censebant eorumque munerum functionem vi sua carere. Hoc nixi principio, omnes in Ecclesia Catholica baptismo jam tinctos, si ad communionem Donati accederent, rebaptizabant.

Hic etiam fuit mos ac sentiendi ratio Ecclesiae Africanae, erumpente Donatistarum schismate: nota enim res est, vehementer disputatum esse Romanam inter Ecclesiam et Africanam, utrum haeretici, ad Ecclesiam venientes, rebaptizandi essent, nec ne; atque auctoritate Cypriani, qui ab hujus parte stabat, morem invaluisse, haereticos, si ad Ecclesiam Catholicam accederent, rebaptizandi.

Ab hac autem sentiendi ratione discessit Ecclesiae Africanae pars Catholica auctoritate inprimis Augustini. Aegerrime enim ille ferebat, quod Donatistae eos, qui jam in Ecclesia Catholica baptizati essent, iterum baptizarent (1). Accessit, ut externam partis suae cum ceteris Ecclesiis Occidentalibus communionem tueri posset, ei opus fuisse, ut etiam de baptismo haereticorum iis consentiret; quo factum est, ut gravis controversia Augustinum inter et Donatistas agitata sit de *baptismi, extra veram Ecclesiam administrati, usu et efficacitate.*

§ 2.

Donatistarum sententia.

Donatistae, ut unam veram Ecclesiam, ita et unum tantummodo baptismum esse statuebant. Baptismum enim intime conjunctum esse cum Ecclesia. Extra veram Ecclesiam baptismum non reperiri. Extra eam vero cum non sit, etiam ibi tradi non posse. Hinc autem patet, eos nullum usum nullamque efficaciam tribuisse baptismo extra veram Ecclesiam accepto, eumque quasi non administratum, considerasse.

Omnis eorum argumentatio principio nitebatur hisce

(1) Quam aegerrime id tulerit, patet ex iis, quae scripsit Epist. 23. § 2. »Rebaptizare," ait, »haereticum hominem, qui haec Sanctitatis signa perceperit, quae Christiana tradidit disciplina, omnino peccatum est, rebaptizare autem Catholicum immanissimum est scelus."

verbis enunciato: *qui non habet, quod det, quomodo dabit* (1)? Quare a Sancto, i. e. ex mente Donatistarum, a socio verae Ecclesiae, accipi debere baptismum perhibebant. PARMENIANUS probare conatur; *quaerendum esse hominem Sanctum, a quo accipi debeat sacramentum* (2); ac PETILIANUS: *conscientia dantis adtenditur, qui abluat accipientis* (3). — Cum vero tales non reperiantur in alia extra communionem Donati societate, nec ulla praeter illam sit vera Ecclesia, sequitur in ea sola baptismum rite accipi posse ac debere, ibique tantummodo usum praestare et efficaciam prodere. Alibi autem jam baptizati, si verae Ecclesiae socii fieri baptismique fructu gaudere velint, in ea baptismum ut accipiant, necesse esse. Hac autem in conditione versari contendebant omnes extra communionem Donati, atque in iis Catholicos. Quapropter recte rationem concludit Augustinus, ex opinione Donatistarum *totum orbem Christianum rebaptizandum esse* (4).

§ 3.

Augustini refutandi argumentandique ratio.

Augustinus concedit quidem Donatistis, baptismum unum esse, quemadmodum vera Ecclesia una est, at eum non adstringi debere ad veram Ecclesiam, sed

(1) Optatus l. c. Lib. V. c. 6.
(2) C. ep. Parmen. Lib. II. § 36.
(3) C. lit. Petil. Lib. II. § 6. Ad nauseam usque haec verba millenis profecto locis repetit Augustinus.
(4) C. litt. Petil. Lib. I. § 20.

etiam extra eam adesse et accipi posse, defendit. Baptismi enim administrationem non pendere, dicit, ab administrante, sed ab eo, an nomine Trinitatis factus sit. Hoc si locum obtinet, legitime traditur extra Ecclesiam, nec repetendus est, si ad Ecclesiam Catholicam accedit extra eam baptizatus. At vero negat eum *cum fructu* ibi administrari, quippe extra Ecclesiae unitatem. Fructum tum demum habere, si haereticus vel schismaticus ad illam unitatem veniat. — Haec rerum capita nunc enucleatius exponemus (1).

Diximus, Augustinum Donatistis consentire in eo, unum esse baptismum, ab iis vero dissentire, quod non ad unam veram Ecclesiam eum adstringat. Ipsum audiamus Augustinum. »Et nos", inquit, »unum baptisma, quod est in Sancta Ecclesia, credimus. Si enim de me singula quaererentur, utrum esset unum baptisma: responderem unum esse. Deinde si interrogarer, utrum hoc esset in Ecclesia sancta: responderem hoc esse. Tertio si quaereretur, utrum hoc baptisma crederem: responderem ita me credere: ac per hoc unum baptisma, quod est in Ecclesia sancta, me credere responderem. Si autem quaereretur, utrum in sola sancta esset Ecclesia, et apud haereticos vel schismaticos non esset: non me ita credere cum tota Ecclesia responde-

(1) Aliter Donatistas debellavit OPTATUS. Ille retinebat Ecclesiae Africanae opinionem, illegitimum esse baptismum haereticorum; at vero ostendebat, non illegitimum esse baptismum, sive Donatistarum, sive Catholicorum, cum utraque pars eamdem teneat fidem, atque baptismum nomine Trinitatis administret. Quare peccatum censendum esse, si repetatur baptismus. Cf. Opus cit. Lib. V. c. 14.

rem" (1). In Catholica quidem Ecclesia est, sed non in sola (2). Haereticis enim cum ea communia sunt sacramenta (3). Falsissimum esse dicit, ex eo, quod unus sit baptismus, efficere velle, eos, qui non sunt in una Ecclesia, unum baptisma habere non posse. Nam unus quidem Deus est, sed etiam extra Ecclesiam colitur ille; una est fides, sed eâ etiam gaudent homines extra Ecclesiam (4). Aliis etiam similitudinibus rem illustrat ac probare conatur. »Sicut boni et mali", ait, »non habentes unam spem, possunt tamen habere unum baptisma: ita quibus non est communis Ecclesia, potest baptisma esse commune" (5). Et rursus: »Sic est unum baptisma, quomodo est una columba, cum possint, qui non sunt in columba communiter, baptisma tamen habere communiter" (6). Baptisma etiam extra Ecclesiam est, ut aqua Euphratae fluminis etiam extra paradisum fluxit (7). Ipsorum exemplo Donatistas refutare studet, provocans ad concilii, ab iis habiti, decretum, quo agnoscitur baptismus Maximianistarum, qui schisma a parte Donati fecerant (8).

Perhibet porro Augustinus *non referre, a quonam administretur baptismus, modo fiat nomine sanctae*

---

(1) De bapt. Lib. VI. § 37.
(2) Ibid. Lib. VI. § 66.
(3) Ibid. Lib. III. § 20.
(4) C. Crescon. Lib. I. § 33.
(5) De bapt. Lib. VII. § 37.
(6) Ibid. Lib. VII. § 87.
(7) Ibid. Lib. VI. § 37.
(8) De bapt. Lib. I. § 7 c. litt. Petil. Lib. I. § 13 seqq. c. Crescon. Lib. IV. § 6 cet.

Trinitatis (1). Ita si fiat, baptismus non traditur *administrantis*, sed *Christi* (2). Nihil enim ad baptismi integritatem facit *fides suscipientis* aut *ministri* (3). Nec etiam, num justi sint administrantes (4). Per se ipsum considerandus est baptismus, non adjunctâ, aut permixtâ ulla perversitate atque malitia sive accipientis, sive tradentis. «Non spectandum est," inquit, »quis det, sed quid det; aut quis accipiat, sed quid accipiat; aut quis habeat, sed quid habeat" (5). Quapropter haereticus et schismaticus, imo et impius baptismum tradere potest (6). Hinc dicere potuit: »Si de aliqua re, ad fidem Christianam et Catholicam pertinente, si de ipsa etiam Trinitatis unitate dissentientem haereticum invenio, et tamen Evangelicâ et Ecclesiasticâ regulâ baptizatum, intellectum hominis corrigo, non Dei violo sacramentum (7)." Id enim etiam agit Augustinus, ut refutet Donatistarum opinionem: *rebaptizandos esse eos, qui ad veram Ecclesiam veniant*, quamvis jam extra eam baptizati sint.

Provocat ad baptismi unitatem (8) ac monet, nusquam

(1) In eo probando toto fere Libro III de bapt. versatur.
(2) C. litt. Petil. Lib. II. § 5 et 78; de bapt. Lib. V. § 15. de Unit. Eccl. § 57 seqq.
(3) De bapt. Lib. III. § 19 seq. »Jam satis," inquit, »ostendimus, ad baptismum non pertinere cujusquam, vel dantis vel accipientis errorem, sive de patre, sive de filio, sive de spiritu sancto aliter sentiat, quam coelestis doctrina insinuat."
(4) C. Crescon. Lib. IV. § 19.
(5) De bapt. Lib. IV. § 16.
(6) C. Crescon. Lib. IV. § 23.
(7) De unico bapt. § 4.
(8) Ibid. § 3.

vel unius Episcopi auctoritati, vel unius provinciae concilio praeferendum est?" (1) Non dubitat Augustinus, quin sententiam suam commutasset Cyprianus, si quis ei valida argumenta obmovisset (2). Bonam vero ea de re sentiendi rationem ei non aperuisse Dominum, ait: »ut ejus pia, et humilitas, et caritas in custodienda salubriter Ecclesiae pace patesceret, et non solum illius temporis Christianis, sed etiam posteris ad medicinalem, ut ita dicam, notitiam signaretur (3)."

Quamvis autem extra Ecclesiam baptismum administrari posse perhibeat Augustinus, negat tamen ibi *cum fructu* fieri.

Quomodo utrumque simul verum esse possit, similitudine e re militari petita illustrat. »Intueatur (quis)," inquit, »similitudinem notae militaris, quia extra militiam a desertoribus et haberi, et accipi potest; sed tamen extra militiam nec habenda, nec accipienda est, et reducto vel perducto ad militiam nec mutanda, nec iteranda est (4)." Comparatio etiam Ecclesiae cum paradiso nos docet, baptismum accipi quidem posse extra Ecclesiam, ibi vero salutis non participes fieri baptizatos. Flumina enim paradisi etiam foras manarunt, non tamen ibi vitae beatitudo fuisse legitur, qualis in paradiso. Ea non nisi intra eum fuit. »Sic ergo," inquit, »baptismus Ecclesiae potest esse extra Eccle-

(1) Ibid. Lib. II. § 2.
(2) Ibid. Lib. II. § 5, 13.
(3) Ibid. Lib. I. § 28. Cf. Lib. II § 6.
(4) Ibid. Lib. I. § 5.

siam, munus autem beatae vitae non nisi intra Ecclesiam reperitur (1)." »Aqua Ecclesiae fidelis et salutaris et sancta est bene utentibus. Ea vero bene uti extra Ecclesiam nemo potest (2)." Non enim solo baptismo, dicit, peccata mundari, ad illud vero multum facere caritatem. Hanc autem extra Ecclesiam nemo habet, nec haereticus, nec schismaticus. Illi eam accipiunt, cum ad Ecclesiae unitatem veniunt: nam tum demum accipitur spiritus sanctus, per quem diffunditur illa (3). »Cum veniant ad nos vestri," ita dicit ad Cresconium (4), »desistentes esse vestri, incipientes esse nostri, accipiunt, quod non habebant, ut salubriter habere incipiant, quod tanto perniciosius, quanto indignius habebant. Accipiunt enim primitus ipsam Ecclesiam, et in ea pacem, caritatem, unitatem per fontem ejus proprium atque invisibilem spiritum sanctium, sine quibus utique nullo dubitante interiissent, quidquid aliud apud vos, quod de Ecclesia foras trahi potuit, habuissent."

(1) Ibid. Lib. IV. § 1 c. Crescon. Lib. II § 16 ad finem.
(2) De bapt. Lib. IV. § 2.
(3) C. Crescon. Lib. II. § 15, 16.
(4) Lib. II. § 19.

CAPUT III.

CONTROVERSIA

DE

EO, NUM VI UTI LICEAT IN REBUS SACRIS.

§ 1.

Definitur Controversiae argumentum.

Donatistae, ut supra jam breviter notavimus, argumentum pro sua causa ex eo etiam petebant, quod persecutiones patiebantur, Catholici vero eas inferebant. *Eam* enim *communionem*, dicebant, *Ecclesiam veram esse, quae persecutionem patitur, non quae facit* (1). Itaque cum persecutiones Donatistis inferant Catholici, fieri non posse, ut apud eos vera sit Christi Ecclesia; cum vero persecutiones patiantur Donatistae, necesse esse, ut horum communio sit vera illa Ecclesia. Nam qui persequitur, eo ipso ostendit, se caritate, primaria, quam religio Christiana commendat, virtute, carere: »non enim persequitur," ait Petilianus (2), »caritas, non adversum ceteras animas Imperatores inflammat, non aliena diripit, non etiam homines, quos

(1) August. ad Donat. p. Collat. § 20.
(2) August. c. litt. Petil. Lib. II. § 173.

spoliarit, occidit." »Qualis fides in vobis est, quae non habet caritatem (1)?" »Ubi lex Dei, ubi Christianitas vestra est, si caedes et mortes facitis ac jubetis (2)?" Atque ex eo rationem concludit. »Sic, sic," inquit, »improbe persecutor, quocunque te velamine bonitatis obtexeris, quocunque nomine pacis bellum osculis geras, quolibet unitatis vocabulo hominum genus illicias; qui hactenus fallis ac decipis, vere diaboli filius es, dum moribus indicas patrem (3)."

Hanc Donatistarum argumentandi rationem evertere studens Augustinus, id agit, ut ostendat, *persecutionem facere eamve pati non accensendum esse notis, quibus dignoscatur Ecclesia.*

»Facere enim persecutionem," inquit, »non est iniquitatis indicium, quia et boni faciunt malis, et mali bonis (4)." Ipsi etiam Donatistae multis ac magnis malis Catholicos affecerunt (5), ipsique persecutiones Maximianistis intulerunt (6). Quapropter iis dicit: »Defendite vos ipsos a persecutione, quam passi sunt a vestris, qui cum Maximiano se a vobis separaverunt: et illic invenietis defensionem nostram (7)."

Nec etiam *pati persecutionem* est justitiae documentum, quia eam non soli boni pro pietate, sed mali pro iniquitate patiuntur (8). Ab eo omnia pendent, utrum

(1) Ibid. Lib. II. § 171.
(2) Ibid. Lib. II. § 214.
(3) Ibid. Lib. II. § 38.
(4) Ad Donatist. p. Collat. § 21.
(5) C. litt. Petil. Lib. II. § 222. de unit. Eccl. § 55.
(6) C. litt. Petil. Lib. I. § 20. c. Crescon. Lib. IV. § 55.
(7) C. litt. Petil. Lib. II. § 45.
(8) Ad Donatist. p. Collat. § 21.

propter justitiam persecutionem patiatur quis. Non enim tantummodo dicitur beatos esse, qui persecutionem patiantur, sed additur *propter justitiam*. Hoc vero dici non potest de Donatistis. Illi enim pro ipsis suis facinoribus sceleratoque schismate mala patiuntur (1). Non enim et Catholici justi dicendi sunt, quoniam tam multa et magna mala a furiosis clericis et circumcellionibus partis Donati patiuntur, sed quoniam ista pro Christiana veritate, pro Christi pace, pro Ecclesiae unitate perpessi sunt. »Aut persecutio non omnis," inquit, »injusta est, aut non est persecutio dicenda, cum justa est (2)." Cum vero Donatistae etiam ex Apostoli effato (2 Tim. III. 12): *omnes, qui in Christo pie vivere volunt, persecutiones patiantur necesse est*, probare vellent, persecutionem pati indicium esse virtutis ac pietatis, respondet Augustinus: non dixisse Apostolum *necesse est*, sed *omnes patientur:* at Donatistas iis non esse accensendos, quippe qui exemplum Apostoli, persecutiones effugientis, non sequantur. At vero si vel concedatur recte eos intelligere verba, inde sequi, Donatistas, qui regnante Imperatore Juliano vixerint, impie vixisse, cum persecutiones non passi sint. Apostolum autem talem, qualem sibi fingebant, persecutionem non intellexisse, sed *tentationem, quam omnes boni experiuntur, sive rebus adversis, sive prosperis* (3).

---

(1) C. litt. Petil. Lib. II. § 160.
(2) Ad Donat. p. Coll. § 23.
(3) C. Gaudent. Lib. I. § 24.

Sin vero concedatur persecutionem pati indicium esse veritatis Ecclesiae, tum et pars Maximiani vera sit Ecclesia necesse esse, quippe quae una cum Donatistis persecutionem pateretur, quam tamen eam non esse ipsi asserebant (1).

Ex hisce vero sequitur, eos martyrio gloriari non posse. Non unumquemque enim, qui poenas propter religionem luat, martyrem esse censendum, »non enim Christi martyrem facit poena, sed causa" (2). Nec solum hoc, sed martyr, ut in caritate vixerit, ac in Ecclesiae unitate mortuus sit, necesse est (3): Donatistae vero poenas tantum inobedientiae legum Imperatoriarum luunt (4).

Haec autem disputans, crimen persecutionis a Catholica Ecclesia avertere simul conatur, dicens: si verum sit, quod Catholicis objiciunt Donatistae, se ab illis persecutiones pati debuisse, illud non pertinere ad Ecclesiam toto orbe diffusam, sed ad eos, qui pro pace unitatis in Ecclesia tolerantur. Propterea Petiliano dicere potest: »non habes, quod objicias frumentis Dominicis, paleam suam usque ad ventilationem ultimam sustinentibus (5)." Eos enim non pertinere ad semen Abrahae, quod est in omnibus gentibus; non pertinere ad dominicum triticum. »Palea," inquit, »quae foras volavit, accusat paleam, quae intus man-

(1) Ad Donat. p. Collat. § 21.
(2) C. epist. Parmen Lib. I. § 15. c. Crescon. Lib. III. § 51.
(3) De bapt. Lib. IV. § 24. Serm. ad Caes. Eccl. plebem § 6.
(4) C. Parmen. Lib. III. § 29.
(5) C. litt. Petil. Lib. I. § 20.

sit (1)." Non aliter Donatistas persequuntur Catholici, nisi quemadmodum veritas persequitur falsitatem. Si aliter fiat, si modus Christianus excessus sit, non ad Catholicam Ecclesiam pertinet, sicuti nec ad Donatistas, si qui eorum similiter faciant (2).

Haec contra Donatistas in medium protulit Augustinus; at vero omnis disputatio in illud tandem convertebatur, ut quaereretur, *num vi uti liceat in rebus sacris*. Utramque partem ea de re nunc audiamus.

§ 2.

Donatistarum Sententia.

Donatistae (3) prorsus negabant *cuidam jus esse vi utendi in rebus Sacris*, omnemque suam argumentationem in eo ponebant, quod non tantum adversetur illud exemplo et monitis Jesu et Apostolorum, sed etiam omni religionis Christianae indoli. Dicebant enim non solum nulla in sacris litteris praecepta exstare, quae persecutionem in aliter sentientes jubeant, vel et suadeant (4), sed etiam inveniri, quae eam prohibeant. Affert Petilianus locum Matt. X. 23, ubi Dominus discipulos praemonet de persecutionibus, quos subituri essent.

(1) Ibid. Lib. II § 24, § 46.
(2) C. litt. Petil. Lib. II § 181.
(3) Hanc controversiam a parte Donatistarum praeprimis agitarunt PETILIANUS et GAUDENTIUS, eorum Episcopi.
(4) August. c. litt. Petil. Lib. II § 188.

»Jubet nobis," inquit, »Dominus Christus: *cum vos persecuti fuerint homines in civitate ista, fugite in alteram: quod si in ea vos persequentur, fugite in aliam:*" atque inde quam nefarium sit Christi nomen profitenti persecutionem inferre, rationem concludit. »Si de Judaeis et paganis nobis praemonet, tu, qui Christianum te memoras, dira facta gentilium non debes imitari. An sic Deo servitis, ut vestris manibus occidamur? Erratis, erratis, si hoc creditis miseri. Nam non habet Deus carnifices sacerdotes (1)."

Christiano non licere in aliis perdendis versari, probat ex praecepto Jesu ad Petrum, cum aurem militis gladio abscidisset (2); immo etiam mala sibi illata perpeti, jubere Jesum atque Apostolos (Matt. V. 39. 2 Cor. XI. 20) (3).

At vero persecutionem inferre adversatur etiam *eorum exemplo.* Illi neminem propter ejus de religione sentiendi rationem persecuti sunt (4). Cum enim Apostoli de sectis moererent idque Jesu significassent (Luc. IX. 50), ille ut notum faceret, se homines ad fidem non cogere, at potius invitare, dixit iis: *Dimittite illos, si contra vos non sunt, pro vobis sunt* (5). Summi vero Doctoris effato consentit Paulus Apostolus, dicens: *Quoquo modo Christus annuntietur* (ad Philip. I. 18) (6).

---

(1) C. litt. Petil. Lib. II § 42.
(2) Ibid. Lib. II § 194.
(3) Ibid. Lib. II § 200. Vide et § 169.
(4) Ibid. Lib. II § 23. »Si Apostoli persecuti sunt aliquem, aut aliquem tradidit Christus."
(5) Ibid. Lib. II § 177.
(6) Ibid. Lib. II § 179.

Provocant insuper ad exemplum Dei, qui liberum arbitrium hominibus dedit, ut eligerent, quod vellent, eoque consilio Petilianus affert dictum Jesu (Joh. VI. 44): *Nemo venit ad me, nisi quem Pater adtraxit;* atque illud Catholicis objiciens, dicit: »Cur autem vos non liberum arbitrium unicuique sequi permittitis, cum ipse Dominus Deus liberum arbitrium dederit hominibus; viam tamen justitiae ostendens, ne quis forsitan nesciens deperiret?" (1)

Eadem fere Gaudentius. »Per opificem rerum omnium," inquit, »Dominum Christum omnipotens Deus fabricatum hominem ut Deo similem, libero dimisit arbitrio. Scriptum est enim (Eccles. XV. 14): *Fecit Deus hominem et dimisit eum in manu arbitrii sui.* Quid mihi nunc humano imperio eripitur, quod largitus est Deus? Adverte, quanta in Deum sacrilegia perpetrentur, ut quod Ille tribuit, auferat humana praesumtio, et pro Deo se id facere inaniter jactet. Magna Dei injuria, si ab hominibus defendatur. Quid de Deo aestimat, qui eum violentia vult defendere, nisi quia non valet suas ipse injurias vindicare?" (2). Et rursus: »ad docendum populum Israel omnipotens Deus Prophetis praeconium dedit, non regibus imperavit. Salvator animarum Dominus Christus ad insinuandam fidem piscatores, non milites misit (3)."

Nec causam habere Catholicos, cur Donatistas persequantur, dicit Petilianus; »si enim innocentia," inquit,

---

(1) Ibid. Lib. II § 185.
(2) C. Gaudent. Lib. I § 20.
(3) Ibid. Lib. I § 44.

»vobis est, cur nos ferro sectamini? Aut si reos nos dicitis, quid nos quaeritis innocentes?" (1) Veritas enim robore suo firmata constat, non indiget persecutionibus (2). Catholici persecutionem in Donatistas facientes, Sauli instar, Christum ipsum in sacerdotibus suis persequuntur (3).

Cum autem per Imperatores persecutiones faciant Catholici. »Quid vobis," objicit iis Petilianus, »quid vobis est cum regibus seculi, quos numquam Christianitas nisi invidos sensit?" Hoc vero longa exemplorum ex Veteri ac Novo Foedere petitorum serie probat, omnemque culpam Catholicis tribuit. »Vos," inquit, »hujus saeculi Imperatores, quia Christiani esse desiderant, non permittitis esse Christianos, cum fuco et nebula vestri mendacii eosdem bona mente credentes, ad iniquitatem vestram prorsus adducitis, ut armis suis, contra hostes reipublicae praeparatis, in Christianos incurrant, putentque se suasionibus eorum Deo officium facere, si nos, quos oderunt Catholici, occidant (4)."

§ 3.

Augustini refutandi argumentandique ratio.

His Donatistarum argumentis se opponens, asserebat Augustinus, non omnem persecutionem culpabilem

(1) C. litt. Petil. Lib. II § 220.
(2) C. Gaudent. Lib. I § 42.
(3) C. litt. Petil. Lib. II § 44.
(4) C. litt. Petil. Lib. II § 202.

esse, provocans ad Scripturae Sacrae testimonia. Affert Psalm. CI. 5. *Detrahentem proximo suo occulte, hunc persequebar.* Hoc autem non laudabiliter diceretur, si persecutio non licita esset. Praeter hunc locum etiam Psalm. XVIII. 38. *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et non convertar, donec deficiant.* Hic autem verba ipsius Domini Christi invenisse sibi videbatur. Alia multa esse loca dicit, quae tamen persequi longum esset.

Persecutio omnino laudanda est, si a malo et illicito prohibeat, nec modum peccati modus coercitionis excedat. Culpanda vero est, si turbide ac inordinate fiat, et ab iis, qui jus non habent (1).

Cum autem se ab Ecclesia separaverint Donatistae, eique se opponant, justa in eos persecutio est dicenda. Persecutionem autem non adeo a Catholicis, sed ab ipsis suis factis patiuntur (2).

At vero quaerebatur: *num licitum esset Catholicis alios ad fidem suam compellere?* Negat Augustinus aliquem ad fidem cogi invitum, sed per sanctitatem, imo et misericordiam Dei tribulationum flagellis perfidiam solere castigari, ut volens corrigatur correctusque vivat, sicuti puer plerumque ab homine carissimo vapulat (3). Deus homines volentes facit, dum coguntur inviti, atque hoc illustrat exemplo Ninivitarum et parabola Jesu de epulo (4). Ad bonum enim appetendum

(1) De unit. Eccl. § 53. c. Crescon. Lib. II § 27.
(2) C. litt. Petil. Lib. II § 43.
(3) C. litt. Petil. Lib. II § 184 et 217.
(4) C. Gaudent. Lib. I § 28.

neminem compelli posse, coerceri tamen malum, atque hominem ad poenitentiam duci. »Numquid," inquit Augustinus, »quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Sed tamen male vivendi ultrix disciplina praepostera est, nisi cum praecedens bene vivendi doctrina contemnitur. Si quae igitur adversus vos leges constitutae sunt, non eis bene facere cogimini, sed male facere prohibemini. Nam bene facere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in libera voluntate: timor autem poenarum, et si nondum habet delectationem bonae conscientiae, saltem intra claustra cogitationis coërcet malam cupiditatem" (1).

Leges vero non auferunt liberum arbitrium »Quidquid (enim)" inquit, »homo durum et molestum patitur, admonetur ut cogitet, quare patiatur; ut si pro justitia se pati perspexerit, id ipsum bonum eligat pro justitia talia sustinere; si autem viderit, iniquitatem esse, pro qua patitur, se infructuosissime laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem simulque careat et molestia sterili, et ipsa iniquitate, multo utique gravius et perniciosius nocitura" (2). Si vero legibus non compescantur mala, »habenis laxatis atque dimissis, humanae licentiae impunita peccata omnia relinquantur, nullis oppositis repagulis legum, nocendi audacia et lasciviendi libido bacchetur, non rex suum regnum, non dux militem, non provincialem judex, non domi-

(1) C. Petil. Lib. II § 184. Cf. et c. Gaud. Lib. I § 43.
(2) C. litt. Petil. Lib. II § 186.

nus servum, non maritus uxorem, nec pater filium a libertate et suavitate peccandi minis ullis poenisve compescat" (1).

Jus autem habent principes Christiani haereticos et schismaticos coercendi vel puniendi. Provocat ad Apostolicum illud (Rom. XIII. 1 et 2): *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi a Deo. Quae a Deo, sunt ordinata sunt. Quapropter qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi judicium adquirunt.* Atque sic argumentatur. An vero cetera facinora, sive flagitia regnantium legibus punienda, sola sacrilegia non punientur (2)? An nihil talibus potestatibus de religione vitiosa vel falsa curandum est? Non quidem de pagana negant. At vero ipsi jus sibi adsciscunt. An justior est privata violentia, quam regia diligentia? »Sed haec omitto," inquit Augustinus, »illud quaero: cum manifeste enumeret Apostolus opera carnis, quae sunt, inquit, *fornicationes, immunditiae, contentiones*, cet. (Gal. V. 19 seqq.) quid istis videatur, ut crimen idololatriae putent juste ab Imperatoribus vindicari: aut si nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legum exerceri juste fateantur; in haereticos autem atque impias dissensiones nolint fateri, cum in iisdem iniquitatis fructibus auctoritate Apostolica memorentur? An forte nec talia potestates istae humanae constitutionis permittuntur curare? Propter quid ergo gla-

---

(1) C. Gaudent. Lib. I § 20.
(2) Ibid.

dium portat, qui dictus est minister Dei, vindex in iram eis, qui male agunt?" (1)

Est autem hoc etiam regum officium »omnes enim homines servire Deo debent, aliter communi conditione, qua homines sunt, aliter diversis donis, quod ille aliud agit in rebus humanis, ille aliud. Habent reges, excepta generis humani societate, eo ipso quo reges sunt, unde sic Domino serviant, quomodo non possunt, qui reges non sunt" (2). Atque eorum potestas ita Deo servire debet, ut per eam plectantur, qui nolunt ejus voluntati servire (3); atque curare, ne quis adversus Ecclesiam rebellet impune (4).

Haec vero omnia non faciunt Catholici, ut Donatistis mala afficiant, sed caritate erga eos ducti, ne pereant. »Quaecunque," inquit Augustinus, »vobiscum agimus, quamquam vobis agamus invitis, ex caritate tamen agimus, ut volentes vos corrigatis correctique vivatis" (5). Persecutionem enim cordis propter Donatistas pati Catholicos dicit, cum illi se separent a membris Christi, rebellent contra pacem Christi, et cum eos corrigere velint Catholici, se morti tradant, eamque persecutionem gravissimam esse: »quia videmus vos insensatos, et tabescimus; quia infirmatos, et infirmamur: quia scandalizatos, et urimur; quia perditos, et lugemus." »Haec mala vestra," ita persequitur orationem, »quae vos in aeternum interi-

(1) C. epist. Parmen. Lib. I § 16.
(2) C. litt. Petil. Lib. II § 210.
(3) C. Gaudent. Lib. I § 45.
(4) Ibid. Lib. I § 44.
(5) C. litt. Petil. Lib. II § 89 et 217.

tum mittunt, amarius nos persequuntur, quam illa, quae a vobis nostris corporibus, vel rebus, vel domibus aut basilicis inferuntur. Minus persequimini, cum in nos saevitis, quam cum vos peritis. Denique in illa persecutione, qua in nos saevitis, cum laude gaudemus: in hac autem, qua vos peritis, si gavisi fuerimus, perimus" (1). Aliquando vero, objectis ei persecutionum malis, dixit: »Si putas moveri nos oportere, quia isto modo tot millia moriuntur: quantum existimas nos habere consolationis, quod a tanta dementia — longe plura millia liberentur."

(1) C. Gaud. Lib. I § 25.

CAPUT IV.

JUDICIUM

DE

CONTROVERSIA AGITATA,

EJUSQUE VI ET EFFICACITATE IN REM CHRISTIANAM.

Absoluta Controversiae agitatae expositione, superest, ut *judicium de ea feramus atque exponamus, quamnam vim et efficacitatem in rem Christianam illa habuerit.* Duae igitur res cum hic tractandae sint, bipartitum erit hoc caput.

SECTIO PRIOR.

JUDICIUM

DE

CONTROVERSIA AGITATA.

Vere omnino ac viro summo digne, de hac controversia judicium ferens CAMPEGIUS VITRINGA dixit: »sunt hic utrimque, quae laudari merentur, sunt quae improbari et rigidius examen non ferunt: et si nos etiam ipsi hic non fallamur, verum falso, quod alias saepe

accidit, mixtum est (1)." Illud enim, quod inter disputantes fere semper observatur, revera hic etiam locum obtinuisse, patebit, si de singulis Controversiae capitibus nonnihil monuerimus.

§ 1.

Controversia de verae Ecclesiae nota characteristica.

Recte omnino et veritati convenienter in ea urgebant Donatistae, sanctos esse debere Christi nomen profitentes, inprimis sacrorum antistites, qui suo exemplo apud homines multum valent, sanctamque esse debere Christi Ecclesiam; in gravem vero inciderunt errorem, definientes verae Ecclesiae notam characteristicam. Eam enim *absolutam sanctitatem* esse perhibebant, i. e. ex solis sanctis constare Christi Ecclesiam. Qua de re si in ejus communione servantur peccatores, aliis per eos contaminatis, virtutem illam sanctitatis amitti. Hinc autem urgebant severae disciplinae Ecclesiasticae usum, principio suo ducti: externa communione cum malis, in externa Ecclesia pollui bonos. Hunc autem errorem in luce posuit Augustinus, recte probans externa communione cum malis minime pollui bonos, sed tum demum, cum factis eorum consentiunt. Loca enim Sacrae Scripturae, quae in suam rem afferebant Donatistae, nimis ad litteram interpretabantur, vocabulorum sonui inhaerentes orationisque contextum

(1) *Observ. Sacr.* Lib. V. c. 8 § 10. T. II, p. 108. ed. tertiae.

consulere negligentes, nec attendentes, utrum praecepta, quae ex iis hauriebant, primis tantum lectoribus data, casuique cuidam aut temporum conditioni adaptata sint; an vero spectent omnes Christianos omni aevo universe ac quacunque in conditione sint positi.

Perhibentes autem Donatistae: Ecclesiam, nisi peccatores eâ ejiciantur, sanctitatis virtutem amittere, non distinxerunt duplicem Ecclesiae notionem: *externam* et *internam*, sive *visibilem* et *invisibilem* Ecclesiam, sed utramque confuderunt ac permutarunt. Ecclesiae enim *visibili* attribuerunt virtutem, quae non nisi *invisibili* attribuenda erat; vel *parti* tantummodo *visibilis;* invisibilis enim socii ad visibilem etiam pertinent, non vero hujus omnes ad illam. Illi tantummodo visibilis Ecclesiae socii ad invisibilem pertinent, qui vere Christiani sunt. Visibilis Ecclesia, quae solis sanctis constat, hisce in terris existere nequit. Quinam enim vere sint sancti, solus Deus scit, cordis perscrutator; non vero homines, quippe errori obnoxii. Donatistae ipsi fateri coacti sunt, homines perfectam separationem hypocritarum a veri nominis Christianis facere non posse, idemque suo insuper exemplo docuerunt. Si autem hypocritae in Ecclesia latere possunt, ut fatentur illi, non video, quidni boni his etiam contaminentur, atque propterea Ecclesia sanctitatis virtutem amittat.

Recte hoc vidit Augustinus, atque feliciter contra Donatistas disputat, docens, nusquam in litteris sacris dici ex solis sanctis constare Christi Ecclesiam, verum e contrario ex bonis malisque commixtis; merito

inter alia provocans ad parabolas a Servatore de regni sui indole propositas (Matt. XIII. 37 seqq., XXII. 10 seq.) duoque distinguens Ecclesiae tempora. — Utinam ulterius processisset sibique explicitum proposuisset *discrimen visibilem inter et invisibilem Ecclesiam!* Hoc enim rite propositum et probatum si obmovisset Donatistis, praeclaram de iis victoriam eum reportaturum fuisse, dubio caret. Haec tamen distinctio posterioribus servata est temporibus. Nam et ipse Augustinus ejusdem, cujus Donatistae, erroris labe fuit infectus. Quid enim illud, quod tanto animo contra Donatistas defendit: *Catholicismum esse notam characteristicam verae Ecclesiae?* Nonne idem dicit, atque internam et veram Ecclesiam Christi, secundum faciem suam exteriorem, magnam semper in mundo facere multitudinem per omnes terrae gentes dispersam? At vero: nonne ita nota *invisibilis* Ecclesiae *visibili* tribuitur? Recte enim monet VITRINGA (1): »Catholicismus est attributum *Ecclesiae internae*, hoc sensu, quod Regnum Christi spirituale, nulli certo loco aut genti adstrictum, omnes capiat cujuscunque ordinis et conditionis homines, qui fidem Euangelii cum puro animi sui affectu suscipiunt. Sed quis docuit Augustinum, Catholicismum ejusmodi *exteriorem*, quo Ecclesia maximam complectitur hominum multitudinem, per omnia loca orbis terrarum diffusam, esse χαρακτηρισμὸν verae Ecclesiae? Prophetiis enim *de amplitudine regni Christi*, quas Augustinus in hunc scopum adducere solet, suum potest abunde con-

(1) L. c. Lib. V. c. 9. § 8. T. II. p. 115. 3ᵗⁱᵃ edit.

stare implementum, etiamsi forte Ecclesia, omni tempore et statu Christianismi, hoc sensu non sit Catholica."

Hinc vero simul patet, quid statuendum sit de sententia, quam enunciavit defendítque Augustinus: extra communionem cum visibili Catholica Ecclesia neminem salutis compotem fieri. Hic enim in oculos incurrit permutatio Ecclesiae notionum, quarum discrimen supra indicavimus.

Facile tamen intelligitur, unde factum sit, ut eas secum invicem permutaverit, si modo ratio teneatur, qua religione imbutus sit et ad theologiae scientiam pervenerit. — Mater, cui tantopere cordi erat filii salus, mature eum edocuit, per solam Ecclesiam Catholicam in coelum viam patere. A juventute vero inde in omnigenos errores prolapsus, pugna bonum inter et malum cum in animo ejus gereretur, Manichaeismo primum se addixit; cum vero desiderio suo non satis fieret, missum eum fecit, et in Scepticismum incidit. Tandem tamen sentiens sibi opus esse, ut aliquid verum agnosceret, eo pervenit, ut fidem auctoritati visibilis Ecclesiae haberet; hanc divinitus institutam existimans, ut animus hominis inquietus ad veritatem et pacem pervenire posset. Nam in omnibus vitae conditionibus firmiter tenuerat, veram ac divinam esse doctrinam Christianam; sed, ubi eam quaereret, dubius haesit, cum tot sectae se eam habere profiterentur. Propterea certam quaerebat auctoritatem, quae ei ostenderet, ubi esset illa Christi doctrina, ubi scriptorum, quibus continetur, incorrupta collectio, quaeque vera esset ea interpretandi ratio. Eam vero

invenisse sibi videbatur in universali Ecclesiae traditione. Huc enim pervenit secum reputans, quanta ea effecerit; inter se permutans, quae Ecclesia per religionem Christianam quaeque haec per illam, cum iis, quae Ecclesia per se, qua externum institutum, effecerit. Atque sic argumentum, quo divinam Christianae religionis auctoritatem probare debuerat, etiam valere pro divina auctoritate visibilis ac universalis Ecclesiae putavit.

Haec autem notionum permutatio ac confusio cum animo Augustini infixa esset, controversiam cum Donatistis agitantis, perspicuum fit, quomodo defendere potuerit: communionem cum Christo necessario colere debere Christianos per communionem cum visibili Ecclesia, extra quam nulla salus (1).

§ 2.

Controversia de baptismi extra veram Ecclesiam administrati usu et efficacitate.

Immerito Donatistis objicitur, eos perhibuisse: vim et efficaciam baptismi pendere ab eo, qui ritum illum administret; pendere enim eam dixerunt ab eo, num

(1) In usum nostrum hic adhibuimus, praeterquam quae dixit CAMP. VITRINGA jam laudatus, ea quae monuit Vir Celeberrimus NEANDER, cum in Op. jam cit. T. II. p. I p. 433 seqq. tum in opere, cui titulus: *Denkwürdigkeiten aus der Geschichte des Christenthums und des christl. Lebens.* T. II. p. 262 seqq. et 266 seqq.

in vera Ecclesia sit administratus, stricte principio suo inhaerentes, baptismum non esse nisi in vera Ecclesia. Nam omnes, ad societatem eorum accedentes, nullo facto discrimine, baptizabant. Ritum etiam non iterum iis administrabant, qui in communione eorum a peccatoribus latentibus, quorum peccata postea innotescebant, baptizati erant (1); atque baptismum quidem non amittere statuebant, qui recedit a vera Ecclesia, jus tamen dandi amittere (2). Recte igitur Optatus eorum mentem expressit, dicens (3): »si sacerdos in peccato sit, solae possunt dotes Ecclesiae operari." Quare perperam eos dicentes facit Augustinus »Quum baptizat homo justus manifestus, ipse sanctificat, quum autem baptizat homo iniquus manifestus, tunc non ipse, sed Deus sanctificat."

Omnem argumentationis suae vim in *plenarii concilii decreto* ponit Augustinus; at vero illud ei non nisi mancum praebet argumentum, cum non ad omnium haereticorum baptismum decretum illud se extendat (4). Vel sic tamen bene contra Donatistas, quippe qui se solos Ecclesiam Christi efficere jactitabant, tenet: extra veram Ecclesiam adesse posse baptismum. Nec tamen probandus, extra Ecclesiam Catholicam fructu carere baptismi ritum, perhibens.

(1) Ratum et verum esse baptismum, dicit Augustinus, quando baptizat apud eos aliquis criminosus, cujus crimina latent. Ep. 89.

(2) Cf. AUGUST. c. Parmen. Lib. II. § 28.

(3) L. c. Lib. II. c. 9.

(4) Cf. WALCH. l. c. T. IV. p. 313 seq.

§ 3.

Controversia agitata de eo, num vi uti liceat in rebus sacris.

Egregie hic a Donatistis urgetur ac defenditur conscientiae libertas fideique qualiscunque amplectendae jus, provocantibus ad ipsius Dei Jesuque et Apostolorum exemplum, atque ad religionis Christianae indolem. Deum enim unicuique liberum arbitrium dedisse, ut eligat, quod velit. Jesum et Apostolos neminem vi coëgisse ad fidem, religioni, quam commendabant, habendam. Ipsi etiam huic religioni non consentaneum esse illud.

Infeliciter contra eos disputat Augustinus. Ipse defenderat antea, neminem ad veritatem cogi debere (1), at cum tractu temporis ab hac sentiendi ratione discessisset, ingenium ei suppeditavit argumenta, quibus contrarium probare sibi videbatur. Ea vero ita se habent, ut nemo, nisi praejudicata imbutus opinione, iis moveri possit, ut in ejus abeat sententiam. Omnia enim testantur, eum malam rem defendere. Provocat quidem ad Dei cum hominibus agendi rationem, qua malis poenisque subinde afficiuntur, ut ad bonum flectantur atque ad fidem ei habendam adducantur. At vero; an eadem locum obtinet ratio Deum inter et homines, quae homines inter et homines? Nonne ita quod Deo soli privum est ac proprium, extenditur etiam ad ho-

(1) Cf. Ep. 185.

mines? Nonne ita jus Dei laeditur et sacrilegium fit? Poenis dicit Augustinus homines a male agendo deterreri. Recte quidem. Propterea civitatis est, cavere, ne malum erumpat; non vero internum animi sensum compescere et ad fidem cogere. Quapropter, cum ex eo, quod facinora civitatis legibus puniantur, sacrilegia, i. e. schismata et haereses, iis etiam puniri debere efficeret, tribuit civitati, quod solius Dei est. Provocat etiam ad exemplum patris, filium subinde castigantis, ut ad meliorem frugem eum adducat. At vero, an alia inter homines necessitudo datur, necessitudini parentes inter et liberos similis? Monet quidem Augustinus, omnia ex caritate fieri debere. At quaeso: semperne sibi constantes sunt homines, neque unquam pravis animi affectibus duci se patiuntur? — Quid praeterea est illud: bonam rem obtinere velle ratione perversa?

Frustra provocat Augustinus ad exempla, quae offerunt Veteris Foederis libri. Neglexit enim attendere, quod bene tenendum esse ipse antea monuit (1), ad discrimen, quod obtinet religionem inter Mosaicam et Christianam. In illa enim cum peculiaris theocratia cerneretur, religio peculiari ratione cum civitate erat conjuncta. Non vero ita religio Christiana.

Cum autem ex Novo etiam Foedere argumentum profert, infeliciter rem agit. Provocans nimirum ad Luc. XIV. 23, nec ad diversam verbi ἀναγκάζειν significationem, nec ad orationis contextum attendit, verum sonui modo verborum adhaesit.

(1) Ep. 45 § 10.

Haec cum ita sint, recte egisse censendi sunt Donatistae, adversantes commixtioni rerum politicarum cum Ecclesiasticis, jusque civitati denegantes in res Ecclesiae internas. At in alterum ruerunt extremum, mutuam Ecclesiam inter et civitatem necessitudinem plane tollere cupientes. Perverse enim existimabant, eam Ecclesiam Christi inter et civitatem, quae antea obtinuerat, rationem perpetuam esse et necessariam, frustra enumerantes Principes, qui nomini Christiano inimici fuerant. — Hic profecto humani quid passi sunt Donatistae. Non enim in ipsa religionis Christianae indole latet oppositio contra civitatis imperium. Nihil etiam probant exempla; nam similia ex omnibus hominum ordinibus peti possunt. Quare Augustinus sua vice recte iis respondit: principes sua sibi priva habere officia, quibus fungendo Domino eos servire oportet. Cum postremo provocant Donatistae ad 1 Cor. II. 6 et 8, ubi memorantur *ἀρχόντες τõν ἀιῶνος τούτου*, planum fit, quam proclives illi, aeque ac Augustinus, fuerint, ad vocabulorum sonui inhaerendum; nam ibi Apostolus non intelligi vult *Principes*, *Summos Imperantes*, sed eos, qui sapientiae apud homines perversos magna gaudent fama (1).

---

(1) Multum hic etiam nos debere ingenii acumini Viri celeberrimi NEANDER opere jam cit. *Denkwürdigkeiten* T. II p. 270 seqq., grato animo profitemur.

SECTIO ALTERA.

CONTROVERSIAE VIS ET EFFICACITAS IN REM CHRISTIANAM.

Facile quis jam suspicari poterit, controversiam agitatam magnam exseruisse vim et efficacitatem in rem Christianam, secum reputans, quali quantaque auctoritate in Ecclesia, cum vivens, tum etiam post mortem, gavisus sit, qui primas in ea partes egit. Haec autem suspicio confirmatur, si historiam consulimus. Ea enim teste, permagnam vim et efficacitatem, tum in *doctrinam Christianam*, tum in *Ecclesiae conditionem* hanc controversiam habuisse, docemur.

§ 1.

Vis et efficacitas in doctrinam Christianam.

Omnium maxime vis illa et efficacitas conspicitur in *dogmate de Ecclesia exculto et explicato*. Illud enim, a longe inde tempore ab Ecclesiae doctoribus excoli coeptum, hac demum controversia consummatum atque absolutum est. Accesserant quidem, una post alteram, Ecclesiae, quae dicebantur, virtutes, ita ut symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum credere Christianis imponeret: esse *unam*, *Catholicam* et *Apostolicam* Ecclesiam; at hae Ecclesiae virtutes nunc demum accurate definitae, et auctoritate Augustini

sancitae, in posterum semper in Ecclesia Catholica ita propositae sunt.

Hoc praeprimis valet de virtutibus *sanctitatis* et *Catholicismi*. *Sanctitas* enim, quae antea Ecclesiae, cum propter ejus socios, tum in quantum opposita esset haeresibus, erat tributa, nunc misso illo, ad hoc tantum est relata et in hunc sensum uberius exposita. *Catholicismus* certam notionem nactus, nunc maxime ut verae Ecclesiae nota invaluit et per omnia sequentia secula habitus est. Huic enim controversiae deberi additamentum in symboli Ecclesiae Latinae articulo de Ecclesia: *communionem sanctorum*, verosimile est, cum nullo in symbolo Graeco, nec in ullo ante Augustinum compareat. Cum vero in symbolo recitato in homilia quadam Augustino adscripta reperiatur, conjicere licet, verba illa iis circiter temporibus addita esse; inprimis cum occasionem, ea adjiciendi, non potuit non praebere controversia Augustinum inter et Donatistas agitata. Additamento enim illo non nisi nota indicatur, qua particulares Ecclesiae ad Ecclesiam Catholicam pertinere censeri possint. Atque haec ipsa erat nota, quam Augustinus, cum Donatistis disputans, in medium protulerat et defenderat.

Nunc etiam simul probata et stabilita est horribilis illa doctrina, ex commixtione visibilis et invisibilis Ecclesiae nata: *extra visibilem Ecclesiam Catholicam nulla salus*. Huic sententiae non tantum paulo post secutis temporibus adhaeserunt Catholicae Ecclesiae doctores, sed eamdem, in hunc usque diem, propugnant, adeoque magna Christianorum pars ei fidem habet.

Controversia *de baptismo* agitata suam etiam habuit efficacitatem. Lis enim composita est Ecclesiam inter Africanam et reliquam occidentalem de baptismo haereticorum. Hujus autem sententia victrix fuit, et universe recepta est.

§ 2.

Vis et efficacitas in conditionem Ecclesiae.

Magnam vim profecto etiam *in Ecclesiae conditionem* habuisse controversiam, nobis consentiet, quisquis modo reputaverit, quantum valuerit controversia *de Ecclesia* agitata ad excitandam et promovendam *hierarchiam Papalem*. Constituta enim unâ externâ Ecclesiâ per omnem terrarum orbem diffusâ, necesse erat, ut universale Ecclesiae corpus universale etiam caput haberet, quo arctius illud in unum jungeretur. Quis vero illud caput esset, indicatum est hac controversia. Episcopatui enim Romano maximus honor tributus est ab Augustino in causa Catholicorum defendenda. Appellatur *Cathedra Petri, Principis Apostolorum:* atque in Episcopi, qui sedem illam occupet, communione esse nota censetur, qua dignoscatur, an aliquis coetus ad unam, sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam pertineat. Non mirum igitur, Episcopos Romanos perhibuisse, se tamquam successores Petri caput esse debere universalis Ecclesiae corporis. Atque ita jam dicere potuit LEO MAGNUS: »civitas sacerdotalis et regia per sacram beati Petri sedem *caput*

orbis effecta, ut latius praesideret religione divinâ, quam dominatione terrenâ (1)."

Quantam autem efficacitatem habuerit controversia agitata *de eo, num vi uti liceat in rebus sacris*, intelligitur, si teneamus, ab hoc inde tempore in Ecclesia Catholica stabilitam esse legem: *coge*, sive *compelle intrare in Ecclesiam;* quae quanta mala pepererit, omnibus notum est. At vero haec controversia etiam effecit, ut lis exoriretur *de mutua ratione civitatem inter et Ecclesiam definienda*, altera parte perhibente: *quid Imperatori cum Ecclesia?* altera vero: *non respuplica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica* Haec autem pugna hic inchoata, posterioribus temporibus renovata, etiam nunc agitatur, et fortasse agitabitur, donec nec civitas, nec Ecclesia in terris erit.

(1) Serm. 80 p. 164.

THESES.

I.

Assentior Ciceroni dicenti (de Legibus I, 8): »nulla gens est, neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat."

II.

Ultimum caput Euangelii Joannei, exceptis duobus postremis commatibus, ab ipso Apostolo profectum est.

III.

Religionis Christianae Conditor non ipse instituit externam et separatam adseclarum suorum societatem.

IV.

Cum baptismi ritum, tum sacram coenam in perpetuos Christianorum usus instituit Servator.

V.

Jesum Christum, e cruce pendentem, non ad speciem, sed vere mortuum esse contendimus.

THESES.

VI.

Laudanda est Dei providentia, quae curavit, ut in Oriente Sec. VII exstiterit Mohamedanismus.

VII.

Rite distinguendum est inter religionis Christianae *doctrinae* atque *dogmatum* historiam.

VIII.

Optime religionis Christianae doctrinae historia *ethnographice* traditur.

IX.

Paedobaptismus non improbandus est.

X.

Ex religionis Christianae indole omnis damnanda est *αὐτοχειρία*.

XI.

Laudandi sunt ii sacrorum antistites, qui pueris religionis doctrinâ instituendis non minorem, quam orationibus sacris operam impendunt.

XII.

Maximopere commendanda est sacrorum antistitibus domestica, quae dicitur, visitatio.

CORRIGENDA.

Pag.	3	lin.	8, 9.	pro *exfuerit*	legatur	*expers fuerit*
»	19	»	7	» *persecuti*	»	*persecutae*
»	32	Annot.	1	» *August. Lib. VI c. Cresc. l. 3 § 49.*		
				legatur *August. c. Crescon. Lib. III. § 49.*		
»	36	lin.	24	pro *a* 407	legatur	*anno* 407
»	64	»	13	» *consentímus*	»	*consentimus*
»	79	»	16, 17	» *sanctium*	»	*sanctum*
»	90	»	8	» *a Deo, sunt*	»	*a Deo sunt,*
»	95	»	18, 19	» *perscrutatator*	»	*perscrutator*